




7
6-c
33



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
10 G
9



S. AVRELII
AVGVSTINI
HIPPONENSIS
EPISCOPI
ET
S. R. E. DOCTORIS
VITA:

Piis omnibus, nec non de verâ Fide, deque vitæ ſtatu deliberantibus vtiliſſima.


Auctore R. P. F. CORNELIO LANCILOTTO
Erem. AVGVSTINIANO Exprouinciali,
S. Theologiæ Doctore.







ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XVI.



DEO

VNI ET TRINO

PATRI CREATORI POTENTISSIMO
FILIO REDEMPTORI CLEMENTISSIMO
SPIRITVI SANCTIFICATORI OPTIMO:


MARIAE VIRGINI DEIPARAE
CREATVRARVM OMNIVM REGINAE
HVMANI GENERIS PATRONAE:

MAGNO AVRELIO AVGVSTINO
EPISCOPO DOCTORI FVNDATORI
ORDINIS EREMITICI AVGVSTINIANI

CLIENTVLORVM MINIMVS CLIENTVLVS
SE SVAQVE STVDIA

F. C. L.

D. C. Q.





Poſſidius S. Auguſtini per annos 40. conuictor, Epiſt. ad Macedon.

AVGVSTINVS *homo cæleſtis, imago diuinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyſſus ſapientiæ*, &c. *Auguſtinus par Angelis in feruore, par Prophetis in abſconditorum myſteriorum reuelatione, par Apoſtolis in prædicatione, par Martyribus in deſiderando paßionem, par Confeſſoribus in diſciplinarum traditione, & par Virginibus in continentiæ obſeruatione.* & concludit: *Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non eſſem ſufficiens ad laudandum tantum Patrem & Doctorem.*


PRV-

PRVDENTIA ET PIETATE
ORNATISSIMO VIRO

D. HENRICO VANDER GOES

SENATORI ANTVERPIENSI
AVGVSTINIANORVM
OECODOMO,

S. P.



DVM ſtrenuus quiſque publico ſtudet Eccleſiæ bono, Vir ornatiſſime, ſanè quęſtum is facit non mediocrem talento ſibi credito, qui Sanctorum heroica facta virtuteſque eorum ſpectandas in medium profert. Habent enim ardentes ſtimulos res geſtæ Maiorum, plurimumque legentem ad imitandum accendunt; &, vt ſcribit B. P. N. Auguſtinus, *Quanta-*

cumque granditate dictionis maiorem vim & pondus habet vita dicentis. Quæ quidem fortiſſimum & paratiſſimum telum eſt cuiuſuis hominis Catholici aduerſus Romanæ Eccleſiæ hoſtes. Nullo enim modo validiùs refutantur eorum deliria erroreſque nefandi, quàm eorum qui vitâ functi ſunt hominum ſanctorum exemplis: qui miraculis à morte ſuâ perpetratis, veluti certiſſimis literis, mortales docent, iſtâ credendi regulâ & moribus ad æternę ſalutis portum ſe perueniſſe. Ita S.Leo: *Validiora ſunt exempla quàm verba, pleniuſque docemur opere quàm voce.* D.autem Hieronymus vitas Sanctorum dicit eſſe *Diuinarum interpretem literarum.* & S. P. N. Auguſtinus, *Diuinæ*, inquit, *Scripturæ, non ſolùm præcepta Dei continent, ſed etiam vitam moreſque iuſtorum; vt ſi fortè occultum eſt quemadmodum accipiendum ſit quod præcipitur, in factis iuſtorum intelligatur.*

Ideam ſanè dixeris ſeu exemplar mentis vitam Sanctorum, quam in virtu-

virtutis cuiuſuis atque difficilis operis ingreſſu, continenter oculis præponas. Quot mortales omnium ordinum, tam viri quàm feminę, cùm legiſſent D. Antonij vitam, longum vale ſęculo dixerunt! Quantis verborum pręconiis hanc ob rem extollitur à ſancto Hieronymo Marcella! Quanto vitæ monaſticæ exarſit amore B. Ioannes Columbinus Patricius Senenſis, cùm fortè vitam S. Marię Ægyptiacæ legeret, nouamque illam Ieſuatorum legionem Eccleſię caſtris adiungeret! Quàm denique hic noſter Aurelius Auguſtinus, cùm Antonij pietate, tum Victorini conuerſione fuit exſtimulatus, vt ad Chriſtianam frugem, poſt tot annos vitę perditos, ſe reciperet!

Huiuſce ortum, conuerſionem, doctrinam, ſanctitatem, felicemque ex hac vitâ diſceſſum, hoc libro ceu tabellâ ſum conatus exprimere; non amore tantùm illius cuius ſum Religione filius; verùm etiam propter Eccleſiæ publicum bonum. Spero nam-

que me facturum operæ pretium apud omnes pietatis studiosos, quin & apud eos qui à credendi regulâ deerrant, cùm & ipsi non parum suspiciant AVGVSTINVM. Qui omnes, existimo, legent hæc tanto libentiùs, quanto interstincta variataque cernent ampliùs verbis ac sententiis ipsius Augustini, pulchrioribus quàm vt eloqui possim. Continent enim eiusce verba præsentissimum remedium ad eiicienda quorumuis Nouatorum seu hæreticorum venenata dogmata: atque inter legendum minimè refractarium animum, ad sanam, vt ita dicam, proportionem Catholicę doctrinæ traducere Augustini scripta possunt.

Hanc ego tabulam Augustinianam ad te, Vir ornatissime, fero; te, inquam, Augustiniani templi Antuerpiæ magnâ parte conditorem, hac effigie incomparabilis Antistitis vicissim dono muneror que, pro tuis in nos summis beneficiis, quæ indies abs te recipimus. Etenim tuum studium

dium in res pias eousque processit, vt præter sumptus, quos maximos fecisti cum Ludouico & Rogerio Clarissis, verè claris ciuibus, in constructionem sacræ ædis, ac Monasterij piorum Fratrum Capuccinorum; nobis etiam non rogatus, accedente publicâ munificentiâ, templum ædifices, monumentum videlicet tui & totius Goesianæ familię sempiternum; necnon euidentissimum pietatis exemplar, quod deinceps optimus quisque possit imitari. Quin & præcipuam Monasterij partem, ne dicam Monasterium perficiendi spem nobis adiecisti. Cuius sanè pietatis socium in hac vrbe nactus es Nobilem ac Magnificum D. Ioannem Augustinum Balbi, qui Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paulâ in Belgio primus hîc fundamenta iecit, sub id ferè tempus, quo arctior & sanctior inter nos amicitia coli cœpit; cùm graui tu morbo superiore anno pressus, tantùm non in viuis esse desiisti. Quo morbo es

ereptus, vt plerique ſagaciores mecum ominantur, altiore Dei prouidentiâ, qui vitæ tuę ſpatium adiecit, vt laboribus illis tuis opibuſque Religionis cauſsâ vtiliter (quod animo proponebas æger) aliquid detraheres: ſi tamen iiſdem hoc modo tantillum adimitur, quæ tutiùs in cælum cum immenſo fœnore præmittuntur. Argumentum huic rei eſt viſio militi Romę cuipiam facta, qui, vt ſcribit S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 36. in ecſtaſin raptus, vidit amœna & odoriferis herbarum floribus gemmantia prata, atque in iis eximio ſplendore domum ex aureis laterculis conſurgere; quos præſtantes lapides omnis ordinis atque ætatis homines ſubminiſtrabant. Quâ viſione, vt interpretatur idem Gregorius, intelliguntur ij, qui eleëmoſynam faciunt, vitæ cæleſtis pręmia mereri, atque ex auro domum perpetuò manentem ædificare: quam quidem tot pretioſi metalli tegulis iidem inſternunt, quot nummos in pias cauſſas erogant.

Cui

Cui hanc auream ſubdo D. P. N. Auguſtini ſententiam : *Si vis mercator eſſe optimus, da quod non potes retinere, vt recipias quod non potes amittere : da modicum, vt recipias centuplum : da temporalem poſſeßionem, vt conſequaris æternam hereditatem.*

Ac mihi quidem egregiè videris imitatus fuiſſe Ioannem illum Patricium Romanum eiuſque coniugem; qui cùm prole carerent, Deum & Deiparam ſunt ardenter precati, vt in quod pium opus facultates ſuas vellent conuerti, ſigno aliquo euidente monſtrarent. Quorum preces excepit illuſtre miraculum : Nonis enim Auguſti, parte collis Exquilini contectâ niuibus formam templi referentibus, haut dubiè eſt diuinitus ſignificatum, in templa locaque Deo ſacra facultates optimè impendi. Quamobrem hoc cæleſti indicio permoti pij coniuges, ſuis ſumptibus inſignem baſilicã (vulgò *Santa Maria Maior*) exędificarunt.

Et hæc quidem de Munificentiâ

Pieta-

Pietateque tuâ satis. Equidem nisi famæ abstemius esses, Prudentiam tuam extollerem, quam Peristylium Antuerpiense nouit: quâ vnâ virtute non paucos antecellis, quamque vel loquendo passim manifestas. Taceo quòd à Reipub. nostræ Tribuniplebis honoribus toties dignus habitus, totiesque eorum suffragiis inter Ordinem Senatorium designatus, ad eumdem tamen ne peruenires, multùm extimuisti: quos tamen amplissimos honores fugiendo, præter votum tuum quidem, non præter meritum auctoritatemque Serenissimi Principis nostri Alberti Austriaci, elapso vere es consecutus.

Itaque vt ne diutiùs te interpellem, precor, vt hoc quale-quale munus, quod ab argumento, & ab AVGVSTINO non potest non augustum aliquid spirare, vnà cum amore omnium nostrûm in animi penetrale admittas: atque vbi per Curiæ curas licebit, hîc, ceu apud fontem ali-

aliquem pietatis, æstum animi deponas. Sic te supremum Numen, cum lectissimis vnanimisq; fratribus, Ioanne, Alexandro, & Petro, nec non latè crescente Goesianâ propage, huic Reipub: ac Ordini nostro diutissimè seruet incolumem: atque ad extremum cùm fatalis superuenerit hora, duobus Templis, velut geminis propugnaculis contra aduersarios insultus defensum, hinc S. Augustinus, inde S. Franciscus, cum suis vterque legionibus, gloriosè ad Beatorum sedes deducant; inter cetera meritorum tuorum præconia, idipsum coram Diuinæ Maiestatis throno ingeminantes, *Dignus est Domine vt* teipsum mercedem ei *præstes*; *dilexit enim gentem nostram*, *&* Templa *ipse ædificauit nobis*. Ita ex animo voueo. Antuerpiæ, in D. Augustini, Kalendis Ianuariis anni M. DC. XVI.

Amplit. T. studiosissimus

Fr. CORNELIVS LANCILOTTVS
Eremita Augustinianus.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.



ANCTI *Aurelij Augustini Hipponensis Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris eximij vitam affero, beneuole Lector, eá ratione vt & historiam complectar, & verbi diuini præconibus inseruiam: sententiis enim optimis ipsius Augustini, ceu gemmis quibusdam, librum omnem distinxi, quæ non solùm intellectui delectabile quidpiam afferant, sed ad hæc facultatum animæ principem, voluntatem scilicet, in Dei amorem (qui Catholicorum primus est scopus) validissimè rapiant. Etiam aduersariis doctrinæ Catholicæ non deerit hîc (si modò sincerè iudicabunt) quod eorum errores refutare clarissimè possit. Insuper de vitæ statu deliberantibus, & pietatis studiosis, nec non humanarum artium candidatis (quæ nunc Sparta nostra denuò esse cœpit) non minima cura fuit vt prodessem.*

Feci

Feci autem trium librorum distributionem, quorum primo descripsi Augustini vitam ab ortu vsque ad Baptismum: secundo verò sum complexus ea, quæ à Baptismo vsque ad Episcopatum gessit: tertium denique librum ad vsque sanctissimam eius mortem deduxi. Ceterùm præter ipsam historiam, & locos communes, quos de S. Augustini operibus accepi, ac in modum ignis ardentis Christianæ perfectionis amatoribus subdidi, nostræ Augustianæ Religionis ortum, & incrementa, siue per orbem dispersas colonias, summatim hîc adieci; quæ etiamnum Religio Augustiniana instar lunæ crescentis, à suo post Deum fundatore Augustino, lumen recipere, atque adeò per Indiarum, Armeniæ, Persidis Regiones, Malabaricas, & alias, ad Euphratem vsque, maiores auctus capere in dies videtur.

Præuideo equidem fore qui mirentur S. Augustini vitam me scripsisse tamquam nouum aliquid, cùm ipsemet S. Augustinus in suis Confessionum libris eam omnibus spectandam exhibuerit; ideoque cogitent

me

me hic actum agere. Verùm si probè animaduertant, S. Augustinus in suis Confessionibus obiter tantummodò res à se gestas attigisse, ac pro re natâ proprios lapsus aperuisse omnibus videtur. quam in rem ingeniosè; Audiant, *inquit*, qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, vt resurgant. *Hic autem liber actus quoque eius heroicos, & alibi in ipsomet Augustino, Possidio, Jordano, Baronio, aliisque Scriptoribus passim sparsas laudes, velut ex variis hortis in vnum sertum collectos flosculos iunctim complectitur. Vsui etiam magno in rem hanc fuêre Patrum nostrorum per Hispaniam & Lusitaniam Manuscripta, vtpote R.mi atque Ill.mi P.F. Alexij de Menezes, Indiarum nuper, & nunc Portugalliæ Proregis, R. P. Emanuelis de la Conception, P. Hier. Romani; Liber quoque P. Ambrosij Steibani, Italico sermone non ita pridem Neapoli impressus, & alij; ac inter hos doctissimæ lucubrationes R. P. Ludouici ab Angelis, Ordinis Historiographi: cuius exemplar optassem non sub ipsam libri*

bri huius impreßionem ad me perueniſſe; quamuis & multa, voto tamen meo pauciora licuit hinc delibare.

Auctores quoad potui bonâ fide citaui: ſi tamen in his, vel in aliis, quædam ἁμαρτήματα, vt vocant, μνημονικά, forſan irrepſerint, ages, benigne Lector, vt humanitatem tuam, ſortemque meam humanam decet. Neque enim autographos ſemper in ſuo fonte guſtare valui, & me tum noui templi moles non parum occupauit, tum in ipſo templo repentini duo caſus, dum huic ſcripto incumberem, tantùm non extinxere. Gratiæ Clementißimo Deo, qui me ſupereſſe voluit, & te hæc legere. Vale, & fruere.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI

COMPLECTENTIS historiam eius ab ortu vsque ad Baptismum.

CAP.

CAP.

LIBRI SECVNDI

Continentis ea potiſſimùm quæ geſſit à Baptiſmo vſque ad Epiſcopatum.

LIBRI TERTII

Virtutes eius, cum hæreticis concertationes, ceterosque actus heroicos, vsque ad mortem apparitiones quasdam & miracula demonstrantis.

CAP.

&

APPRO-

APPROBATIO.

VITA hæc D. Aurelij Augustini, ex variis doctissimorum virorum libris desumpta, studio ac labore R. P. F. Cornelij Lancilotti S. Th. Doctoris, digna est, vt omnium manibus teratur, ad malos mores reformandos, & salutarem doctrinam imbibendam. quod testor hac v. Ianuarij, anno M. DC. XV.

Egbertus Spitholdius Canonicus & Plebanus Antuerpiensis, librorumque censor.

Exemplar sententiæ R. P. THOMÆ SAILLII *Rectoris Collegij Societatis* IESV, *ex eiusdem epistolâ de hoc libro ad R. P.* NICOLAVM CRVSENIVM *Priorē Augustinianū Bruxell.*

QVEM mihi R. V. non ita pridem librum tradidit, à R^{do} admodum ac doctissimo Viro F. Cornelio Lancilotto S. Th. Doctore, Ordinis vestri Religioso, de admirandâ D. Augustini Orbis miraculi conuersione, deque rebus post eam in vitâ ac postmodum gestis disertissimè conscriptum, magnâ animi mei voluptate legi, variisq; stimulis excitatus sum, vt quem adolescens, dum huius celeberrimi viri Confessionū ac Meditationū libros voluerem, spiritum aliquem ad Religionem capessendam hauseram, illum ipsum nunc studeam

con-

conseruare, & Dei gratiâ, dũ vita stabit, augere. Hoc ipsum censuros crediderim quotquot perfectioris vitæ professores vel ad eam aspirãtes, hoc volumen attentâ mente reuoluerint, atq; cælestibus instinctibus, qui numquam desunt bonæ voluntatis hominibus, aures faciles prębuerint. Censuit hoc opus R. D. Spitholdius Plebanus Antuerp. vir oculatissimus, cui hoc onus incumbit, vt iudiciũ ferat de Auctoribus, qui recèns in lucem prodeunt. Vinis optimis, quæ hîc prostant, hederâ haud opus suspensâ. Tantùm optarem, eumdem Auctorem Flandricâ nostrâ & Gallicâ quàm citissimè vestitum linguâ, vt fructus qui exspectatur, amplior sit, & omni hominum generi toto hoc Belgico tractu seruiat.

LICENTIA SVPERIORIS.

EGO F. Nicolaus Staffaert, S. T. Doctor, atq; Ordinis Fratrũ Eremitarum D. Augustini per Belgium Prouincialis, do licentiá vt Vita eiusdẽ S. P. N. Aurelij Augustini à R. P. F. Cornelio Lancilotto, nostræ sacrę Religionis Theologo industriè digesta, nostrorum & aliorum doctorum virorũ iudicio approbata, typis mãdetur. Datũ Tornaci ad D. Augustini, x. Kal. Apr. M. DC. XV.

F. Nicolaus Staffaert Prouincialis Belgij.

DE VITA D. PATRIS AVRELII AVGVSTINI EPISCOPI

LIBER I.

Complectens historiam eius ab ortu vſque ad Baptiſmum.

CAPVT I.

Patria D. Aurelij Auguſtini, vtriuſque nominis ratio, & tempus natiuitatis.

DIVVS AVRELIVS AVGVSTINVS Eccleſiæ Catholicæ Doctor eximius, quem plures quidem copioſè, nemo ſatis vmquam laudauit, anno Domini CCCLV. Idibus Nouembris, Liberio ſummo Pontifice, & Conſtantio Imperatore in Africâ natus eſt Tagaſtæ, quæ inter Numidiæ oppida cenſetur. Vitæ poſt Deum habuit auctores Patritium & Monicam; tenuioris quidem fortunę, ſed iſtum *Auguſtini patria & parentes.*

A nobi-

Etymon nominis Augustini. nobilitate, hanc pietate insignem. Nomen ipsum, quod ominis boni quiddam videtur, ad laudem eius accommodationem habet. Vt enim Octauiano Augusti nomen est inditum, quòd ipse amplissimæ dignitatis, quæ tum in terris erat, honore sit auctus; vel quòd domi militiæque sopito belli furore dilapsæ Reipublicæ dignitatem ad pristinæ felicitatis splendorem adauxerit; sic & Augustinus, velut per vitæ præsagium, ab augendo dictus videatur, quia eius inuicto labore, longè lateque refutatis hæreticorum erroribus, doctrinaque præstanti contra sectarios Ecclesia Catholica defendenda & augenda foret. Quamquam si conuersionis eius ad veram fidem momenta consideremus, si scriptorum, quantum vix alius quisquam edidit, ingentem numerum, si Religiosorum hominum cœtus, quos ipse vel instituit, vel qui post eum ab alijs instituti, vitam regulæ eius attemperarunt, adeoque quadraginta & ampliùs si spectemus familias, quæ parent huius legibus; rem Christianam sic auxit, vt hoc Augusto nomine dignissimus videatur.

Cur dictus Aurelius. Nec Aurelij nomen in eo vacat, quod cùm ob doctrinæ præstantiam atque splendorem, tum propter virtutum excellentiam, vitâ functus accepit. Nam quemadmodum

modum Romani, glorioſa quibuſdam dedêre cognomina honoris cauſsâ, hunc Africanum, illum Aſiaticum, iſtum Magnum, ac alios aliâ ratione cognominando; ſic Eccleſia Catholica viris ſanctitate vel eruditione præſtantibus, indidit perilluſtres titulos, ad eorum famam ampliùs celebrandam. Atque ideò Baſiliuṃ vocauit Magnum; Ioannem, Chryſoſtomum; Firmianum, Lactantium; Tertullianum, Florentium; vt illorum dicendi copia, præſtantia, ſuauitas, ac floridum orationis genus omnibus innoteſceret. Et in hunc modum Auguſtinum vocauit Aurelium, propter ipſius, vt dictum eſt, vitæ ac ſcriptorum eximium ſplendorem. Refert etiam Alexander ab Alexandro, Romæ familiam fuiſſe perilluſtrem, quæ dicebatur Aurelia; cuius erat proprium, in Solis templo ſacrificare: atque ita S. Auguſtinum Aurelium dici perinde ſit, ac eumdem indigitari clarum, ac velut ſolarem, à quo doctrinam homines eruditi, velut à Sole ſtellæ lumen mutuantur. Aiunt Solem pingi ſolitum cum pane & potu, nimirum hoc eſt, quod huic ſanctiſſimo viro accinimus: Lib. 1. c. 9. *Aurelius quaſi dicas aura & Sol, quæ iuncta ſummam amœnitatem præſtant.*

Quæ obſcura priùs erãt, nobis plana faciẽs:
Tu de verbis Saluatoris dulcẽ panẽ conficis,
Et propinas potũ vitæ de Pſalmorũ nectare.

Solem ad hæc hieroglyphicè constituunt è naui mundum gubernantem, quod & huic eleganter tribuitur, dum ex more Deum compellantes, eius solemni die sic præfamur: *Cunctorúmque conditionibus salubriter prouidendo, tuam in hoc mari nauiculam Augustinus prouidè gubernauit.* Aliud nominis etymon Festo placet, vt Aurelius quasi Ausedius dicatur, aureaque sede dignus: ac inter omnes alios, vt aurum splendore, ita sapientiæ gloriâ resplendens. Quapropter Salomon inter Hebræos aureo solio refulsit, interque Græcos aureo tripode Socrates dignus est habitus, & inter Ecclesiæ Doctores, tum ab alijs, tum in primis à Claudiano Mamerco fuit Augustinus, *Aurelius* cognomento scriptus, quòd aureâ cathedrâ dignissimus iudicetur.

Tit. familia Aurelia.

Lib. 3. De statu animę, cap. 10.

Est autem istud obseruatione dignissimum, quod ait Prosper, quodque idem in Breuiario Gothicæ gentis Vlphilas scripsit; eodem nimirum tempore, quo natus est in Britanniâ Pelagius hæresiarcha, ceu caligo quædam in tenebrosis illis regionibus exorta; natum in Africâ fuisse Aurelium Augustinum velut clarissimum Solem, lumine suo noctem illam erroris discutientem. Quâ de re potest aptè dici, quod est apud Ecclesiasticum: *Contra malum bonum est, & contra*

De Ingratis, cap. 3.

Augustinus natus est eodem tempore, quo Pelagius hæresiarcha.

Cap. 33.

contra mortem vita; præbent enim Augustini scripta præsentissimum antidotum contra Pelagianę in primis hęreseos venena. Ac Pelagius quidem, si vtriusque patriæ situm attendamus, non incommodè per Aquilonem significari videtur, vnde omne malum, & tenebræ: verùm Augustinus (iuxta B. Vincentium Ferrerium) aptè potest intelligi per aureum templi candelabrum, quod in parte fuit Australi, in quâ etiam Africa; nimirum vt lucernæ Boream versus respicientes, ab eo tenebras depellerent. Quæ res admirabilem Dei prouidentiam non obscurè demonstrat, cuius est Ecclesiam suam, dum in vnâ parte decoloratur, in alterâ vicissim illustrare. Serm. de S.Aug.n.8. *Mirabilis Dei circa Ecclesiam prouidētia.*

CAPVT II.

Augustinus puerulus ludimagistro traditur, fabulis delectatur, & à Græcis literis est alienior, quas prouectior demum amplectitur.

PVERVLVS à parentibus ludimagistro traditus est bonis artibus imbuendus. Verùm, vt fit per eam ætatulam, lusibus congressuque æqualium gaudens, nihil minùs quàm literas curauit: adeò vt à præceptoribus inuitari primùm, dein minis ac plagis ad discendum compelli debuerit. *Augustini pueritia.*

Quod tamen in discendo tædium alacriter demum superauit, Latinæ syntaxeos studio delectatus; quod à teneris vnguiculis, Latinas aliquot voces à nutrice didicerat.

Fabulis delectatur.

Ac præcipuè iam puer fabulis tenebatur, quæ de Troiano equo, Troiæque subuersione referebantur, de varijs erroribus Æneæ, de impotenti Didonis amore, miserabilique Reginæ morte: quæ huiuscemodi, siue res gestæ, siue Poëtarum commenta mẽdacijs calamistrata cum verborum elegantiâ, mirum quàm facilè, quamque dulciter à pueris audiantur. Itaque se Didonis illacrymasse fato narrat, dum

Lib. 4. Aeneidos.

—— pallida morte futurâ
Interiora domus irrũpit limina, & altum
Conscendit moritura rogum:
—— illam inter talia ferro
Collapsam aspiciũt comites, ensemq́; cruore
Spumantem, sparsasq́; manus. ——

Lib. 1. Cõfess. cap. 16. *Fugiendi Poëta lasciui.*

Hisce fabulis impeditum, se maioribus rebus non vacasse, seriò queritur. Præsertim verò quorumdam Poëtarum lasciuiam grauiter reprehendit, qui sub verborum melle pueris venena propinant, cùm de dijs suis nefanda, & tenellis auribus indigna referunt: in quibus peccandi faciunt illecebram ipsorum deorum exempla, dum quę turpiter ab ipsis facta vident mortales, imitari

tari non erubescunt: vt ille flagitiosus adolescens apud Terentium, qui dum tabulâ pictâ in pariete fabulam Danaës contemplatur, Iouem sibi ad peccandum exemplar facit. Quare non iniuriâ Plato, Repub. suâ totum hoc genus hominum exclusit: vti quoque Grammatici probi seuerè cauent, ne adolescentes similium spurcarum rerum lectione inficiantur. In Eunucho.

Libuit seriùs istud Augustino mirari humanæ cæcitatis argumentum in nonnullis Grammaticis, qui stribiliginē omnem atque barbariem, vt Scyllam & Charybdim exhorrescere discipulos docent; eidem, ne in teterrima morum vitia deferantur, nihil pensi habent. *Vide*, inquit, *Domine Deus, patienter vt vides, vide, quomodo diligenter obseruent filij hominum pacta literarum & syllabarum, accepta à prioribus locutoribus, & à te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant: vt qui illa sonorum vetera placita teneat, aut doceat, si contra disciplinam Grammaticam sine aspiratione primæ syllabæ, ominem dixerit, magis displiceat hominibus, quàm si contra tua præcepta hominem oderit, cùm sit homo.* Ceterùm cum literis, Latinis illis quidem, Augustino id temporis ita conueniebat: nam à Græcanicis vehementer alienus, nec verbis nec verberibus ad- *Queritur Augustinus Grammaticos magis cauere vitia verborũ quàm morum.* Lib. 1. Cōfess. c. 18.

duci potuit, vt eas addiſceret. Ob eam credo rationem, quam Auſonius de ſimili profert,

—— neque diſciplinis
Appulit Græcis puerilis æui
Noxius error.

Luſui deditus. Prouectior autem eas didicit, ægriuſculè ferens, quòd per eam ætatem non didiciſſet, quæ literis ijs fuerat opportunior. Interim & luſus auocabant, quorum erat ipſe quàm ludi ſtudioſior, & huiuſce rei gratiâ parentibus & præceptoribus non ſemel impoſuit: nempe quod plerique faciunt adoleſcentuli, tempus otio conterens, relictiſque vtilibus, ad pilas & crepundia conuerſus.

CAPVT III.

Auguſtinus adhuc puer morbis obnoxius Baptiſmum expetit.

Puer valetudine eſt infirmiore. VALETVDO corporis, cùm adhuc tenerâ eſſet ætate, non ſatis illi conſtabat: quin & grauiore ſtomachi morbo exercebatur. Quamobrem ſedula mater eius, verita ne ſi quid humanitus accidiſſet filio, periculum æternæ ſalutis adiret, quòd nondum erat ſacro Baptiſmate renatus; etiam contendit, vt primo quoque tempore ablueretur. Quæ res, Auguſtino ſimul efflagitante Baptiſmum, tantùm non eſt perfecta:

cta: verùm cùm se remitteret vis morbi, in tempus opportunum Baptisma dilatum fuit: non id spe quidem vitæ diuturnioris, quæ non paucis mortalibus persuasit in omne vitiorum genus habenas laxare, quoad morte iam vicinâ, raptim aquâ perfundantur, vel absoluantur, verùm metu curaque Monicæ, quæ multa porrò spectabat adolescentiæ pericula, & lenocinia ætatis eius, quæ in vitium flecti cerea est; grauissimeque diuinum Numen offendit, quando post salutarem ablutionem, concepto tædio, tamquam in Ægyptum recogitat. Sed & altissimam Dei prouidentiam hîc licet interpretari, quâ sibi prælectas animas nonnumquam errare sinit longiùs, & à gratiæ suæ fontibus secludi diutiùs, quò vberiore mox gustu, maioreque bonitatis suæ commendatione sitim eorũ restinguat. *Baptisma eius differtur.*

Capvt IV.

Madauras & Carthaginem studiorum caußâ mittitur. Romimanus Mecænas eius.

Detersa itaque barbarie, cùm præcepta linguæ Latinæ didicisset, Madauras ciuitatem vicinam mittitur, ac inde Carthaginem, vbi literarum humaniorum studia tunc vigebant, oratoriis artibus expoliendus: quas ille Manilio Theodoro, *Ad studia mittitur.* Lib. 1. c. 14

Christiano præceptore, pro ingenij sui bonitate celeriter percepit, æquales suos longo post se interuallo relinquens. Ac patri quidem eius Patritio iucunda res ea fuit, atque pro voto: spectabat enim homo alienus a Christianâ fide, (quod etiamnum fieri videmus) quemadmodum filio per hanc facultatem dicendi, gradus ad honores forenses struerentur: neque is erat, vt in finem illum summum ac vnicum, qui Deus est, filij studia dirigeret. In hoc autem suprà quàm credibile sit nitebatur homo fortunæ tenuis, vt disertum filium videret, imò potiùs desertum, inquit ipse Augustinus, & bonis omnibus iis, quæ in humani cordis velut agro conserere oportet, miserè destitutum. Atqui licet parentum egestate pressus esset, tamen emersit, adiuuante Rominiano populari suo, quem Mæcenatem in se valdè liberalem est expertus, ac fortasse sine talibus adminiculis haud euasisset in Augustinum. Huic Rominiano libros contra Academicos dedicauit, cupiens eumdem ad veri Dei cognitionem perducere, beneficiorumque quæ ab eo perceperat, memoriam refricans, ita eum honorificè compellat: *Tu me adolescentem pauperem, ad peregrina studia pergentem, & domo, & sumptu, & quod plus est,*

Finis studiorum Augustini.

L.2. Confess. cap. 3.

Rominianus Mæcenas Augustini.

Lib. 2. contra Academicos c. 2.

animo

animo excepiſti. Tu patre orbatum, amicitiâ conſolatus es, & hortatione animaſti, ope adiuuiſti. Tu in noſtro ipſo municipio, fauore, familiaritate, communicatione domus tuæ, penè tecum clarum primatemq́; me feciſti, &c. Quâ ex re liquet, quantum emolumentum Reipub. conferant, qui paupertinam iuuentutem facultatibus ſuis erigunt, vt ad bonarum artium cacumen euadat. Contingit enim interdum ſumma ingenia deliteſcere, quòd huiuſcemodi Mæcenates non inueniant. Id eleganti emblemate Alciatus expreſſit: Emblemate 122.

Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas:
Vt me pluma leuat, ſic graue mergit on^9.
Ingenio poterã ſuperas volitare per arces,
Me niſi paupertas inuida deprimeret.

CAPVT V.

Adoleſcentiæ Auguſtini vitia.

AVGVSTINI iam tum ætate creſcente, vitia ſeſe latiùs explicabant: & vt in aruo fecũdo zizania bonis herbis, ita menti bonæ praui mores innaſcebantur. Hinc illa, parentum è menſâ, clãcularia ſurreptio, deque cellâ penuariâ, domi cùm adhuc eſſet: hinc excuſſa ſub noctem vicini hominis arbore poma, libidine magis faciendi perpe-

perperàm, quàm quòd fructus isti peracerbi magnopere delectarent: hinc illa contumacia in æquales, ad decipiendum procliuitas, adque parendum doctoribus asperitas: hinc, vt ille ait,

Horat. in Arte poëticâ.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúsque, & amata relinquere pernix.

Inter hæc auocatus à studio (vt fit, quando parentes rei familiaris cogit inopia) domi fuit annum vnum commoratus: vbi materiem præbente otio, adhæc suasu perditorum sodalium (*inter quos pudet esse non impudentem*) in vitia, quæ consequuntur otium, est prolapsus: *Vbi,* inquit, *eram? & quàm longè exulabam à deliciis domus tuæ anno illo* XVI. *ætatis carnis meæ, cùm accepit in me luxuria sceptrum? quæ licet parui pendatur iudicio humano, prorsus tamen est illicita per leges tuas. Fames mihi erat intus ab interiori cibo teipso Deus meus, & eâ fame non esuriebam, sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium; non quia plenus eis eram, sed quò inanior, eò fastidiosior, & ideò non benè valebat anima mea, & vlcerosa proiiciebat se foras miserabiliter, scalpi auida contactu sensibilium. Excesserũt itaque caput meum vepres libidinum, & nulla erat*

Perniciosa res sodales perditi.

Lib. 3. Cõfess. cap. 1.

erat eradicans manus patris vel magistri. Neque verò pia mater ideò filium negligere, quem tantopere amabat; at potius omni ope contendere, ne dispendium simul temporis pudicitiæque faceret: iam eiusce laudes commemorare, iam vitiorum fomitem, qui est nil agere, grauiter reprehendere, iam, vt impudicorum vitaret adolescentum ac mulierculárum congressus, idemtidem suadere. Verùm ille matris precibus ac mônitis parum acquiescebat: nam pestifera delectatio, quasi gustata lotos, ad meliorem frugem redire animum haud sinebat. *Ecce cum quibus comitibus* (queritur) *iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno eius, tamquam in cinnamomis & vnguentis pretiosis.* Interim Deus Opt Max. quem ab omni æuo præuiderat inter suos fore, iam tum non parum eum abstrahebat à fœdissimis voluptatibus; illasque amorum primitias, non tam mellis quàm fellis esse fecundissimas ostendebat. Quâ re clariùs tandem intellectâ, sic exclamat: *Deus meus, misericordia mea; quanto felle mihi suauitatem illam, & quàm bonus aspersisti; quia & amatus sum, & perueni occultè ad vinculũ fruendi, & colligabar lætus ærumnosis nexibus, vt cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, & suspicionũ, & timorũ atq; rixarũ.*

Lib.2. Cõfess. cap.3.

Lib.3. Cõfess. c.3.

Amor felle & melle fecundissimus.

Lib.2. Cõfess. cap.1?

Exacto

Exacto itaque domi segniter anno integro, Carthaginem abiit: quâ in vrbe, mirum quàm celeriter benè dicendi scientiam est assecutus. Inter hæc eum domesticus hostis acriùs oppugnabat; stimulus, inquam, carnis, quam secum, quo iret cumque locorum, ferebat, velut illa cerua Virgiliana telo saucia, hucque illucque cum eo discurrens. In eadem vrbe captus est spectaculis ac ludis theatralibus, mirum in modum homini, præsertim adolescenti, perniciosis. Quæ namque fœditates ibi desunt? quæ non ad peccandum incitamenta? dum impotenter amantis Medeæ, Phædræq; mortem sibi consciscentis, quæ turpiter in Hippolytum exarserat, & similium amores, cum plausu cernentes excipiunt? Horum ille aspectu pascebat animum, his ita permouebatur, vt nec à lacrymis ipse sibi temperaret. Quam in rem ingeniosè, *Quid est*, inquit, *quod homo ibi vult dolere, cùm spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, & dolor ipse est voluptas eius*. & paulò pòst: *Et hoc de illâ venâ amicitiæ est. Sed quò vadit? quò fluit? vt quid decurrit in torrentem picis bullientis æstus immanes tetrarum libidinum, in quos ipsa mutatur & vertitur per nutum*

Lib. 3. Cō fess. suprà.

Lib. 4. Aen.

Carthagine spectaculis tragicis afficitur.

Lib. 3. Cō fess. c. 2.

putum proprium, de cælesti serenitate detorta atque deiecta?

CAPVT VI.

Mortuo Patritio patre Augustini, Monica studiorum filij satagit.

INTER hæc familiæ columen Patritius, accepto tamen antè Baptismo, moritur. Circumstabant id temporis piam matrem curæ plures, tum propter mariti decessum è vitâ, tum ob filij, qui iactabatur adhuc in adolescentiæ freto, maxima pericula. Quapropter in hoc elaborauit maximè, quæque supererant in id facultatulas expendere statuit, vt ne cogeretur filius cœptorum studiorum cursum interrumpere; rata id quod res erat, si quàm optimè doctrinâ excultus esset, ad Christiana sacra trãsiturum faciliùs: eò quòd profanæ literæ, si finem spectent bonum, quadamtenus ad veram fidem gradum præstruant; dum mores feros emolliunt, ac è naturâ ductis rationibus, mentem illustrant; quò errores, quibus occæcatur, non possit non ratione quadam animaduertere. *Saecularis literaturæ commendatio.*

CA-

CAPVT VII.

Amico per mortem ſublato, dolet grauiſſimè.

CONTIGIT deinceps Auguſtino coætaneum, ac in eiſdem ſtudiis æqualem, immaturæ vi mortis abripi, cuius ipſe mortis acerbitate vehementer conſternatus (nam ingenti fuerat amore collegam proſecutus) mœrori ferendo nequaquam par erat. *Itaque* (verbis eiuſce vtar) *non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in ſuaueolentibus locis, nec in conuiuiis apparatis, neque in voluptate cubilis & lecti, non denique in libris atque carminibus acquieſcebat. Horrebant omnia, erat illi patria ſupplicium, & paterna domus, mira infelicitas; & ipſa lux, & quidquid non erat quod ille (*amicus defunctus*) erat, odioſum erat, præter gemitum & lacrymas: nam in eis ſolis aliquantula requies. Solus fletus erat dulcis ei, & ſucceſſerat amico in deliciis animi eius. qui vbi inde à lacrymis auferebatur, onerabat eum grandis ſarcina miſeriæ, quæ à Domino leuanda erat. Quia enim fecit nos ad ſe,* quocumque mundi bono quantumuis eximio & præcellenti fruatur, *cor noſtrum inquietum eſt, donec requieſcat in Deo*, qui omnes omnino animæ ſinus explet. Quam

Lib. 4. Cō-feſſ. cap. 7.

in

in ſententiam aptè Billius: In Anthologiâ.

Vt nihil eſt inter carnalia vota quietum,
Nec pax ſollicitis, nec modus eſt cupidis,
In ſolo eſt mens tuta Deo.

Acerbus autem illius ex amici morte dolor, tempore nonnihil eſt lenitus: cuius quanta vis ſit ad ægritudinem animi temperandam, ita declarat: *Non vacant tempora, nec otioſè voluuntur per ſenſus noſtros: faciunt in animo mira opera. Ecce veniebant, & præteribant de die in diem; & veniendo, & prætereundo, inſerebant mihi ſpecies alias, & alias memorias, & paulatim reſarciebant me priſtinis generibus delectationum, quibus cedebat dolor meus ille, ſed ſuccedebant, non quidem dolores alij, cauſſæ tamen aliorum dolorum. Nam vnde me facillimè, & in intima dolor ille penetrauerat, niſi quia fuderam in arenā animam meam, diligendo moriturum, ac ſi non moriturum? maximè quippe me reparabant aliorum amicorum ſolatia, cum quibus amabam, quod præ te amabam,* &c. *Alia erant quæ in eis ampliùs capiebant animum; colloqui & corridere, & viciſſim beneuolè obſequi, ſimul legere libros dulciloquos, ſimul nugari, & ſimul honeſtari,* &c. *His atque huiuſmodi ſignis à corde amantium & redamantium, per os, per linguam, per oculos, & mille motus gratiſſimos, quaſi fomiti-*

Tempus dolori medetur.

Lib.4. Cōfeſſ. cap.8.

bus conflare animos, & ex pluribus vnum fieri, hoc eſt quod diligitur in amicis. Hinc ille luctus, ſi quis moriatur, & tenebræ dolorum, & versâ dulcedine in amaritudinem cor madidum, & ex amiſſâ vitâ morientium, mors viuentium. Beatus autem qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur. Et quis eſt iſte, niſi Deus noſter? Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Et qui dimittit, quò it aut quò fugit, niſi à te placido, ad te iratum? Hactenus Auguſtinus.

Ex amiſſâ vitâ morientium mors viuentium.

Doloris impatientiâ locum mutat.

Lib.4. Cõfeſſ.cap.7.

InterCauſſidicos verſatur.

Ratus autem loci mutatione poſſe amplius dolorem ſuum mitigari, Tagaſtâ (quò fortè ob mortem patris redierat) Carthaginem diſceſſit: vbi, dum vt clauo clauus, ſic amor amore pellitur, ſed honeſtus ille legitimuſque turpi ac nefario, (quò non malorum à Deo relicta mens deuenit?) ſuſtulit ex quadam filium Adeodatum; cuius ingenium pueri, dicit ſibi ſtupori fuiſſe: ſed in ipſo fuit extinctus adoleſcentiæ flore, quod eiuſmodi ingeniis præcocibus videmus accidere. In eadem vrbe Rhetoricam docuiſſe, Cauſſidicis operam dediſſe, linguamque pretio venalem habuiſſe fatetur: atque adeò ſolemni quodam die, *negotium procurandi fructus mortis*, in ipſâ ſacrâ æde ſemet

ſemet egiſſe, vehementiori dolore commemorat. *Vnde*, ſubdit, *me verberaſti grauibus pœnis, ſed nihil ad culpam meam, ô tu prægrandis miſericordia mea, Deus meus!* Lib 3. c. 3. Quæ omnia ideò hîc referuntur à me, tum quia virum ſanctiſſimum ſummâ animi demiſſione feciſſe idem ipſum video, tum quia poſt tam inſignem ad Deum conuerſionem, cedunt iſta maiori eiuſce gloriæ; ſimul etiam, vt ne quis peccatorum onere preſſus, veniam à Deo conſequi deſperet.

CAPVT VIII.

Auguſtinus Artes liberales per ſe intelligit. Stilus eius.

CETERVM vt ad animi bona veniamus, admiratione dignum eſt, quòd adoleſcens natus annos ferè viginti, Categorias Ariſtotelis ſuopte ingenio ductuque comprehendit: vt etiam quidquid in Muſicis, Arithmeticis, Geometricis, Phyſicis, Metaphyſicis, Aſtronomicis, reliquiſque facultatibus intellectu difficile continetur, citra doctoris operam intellexit: quæ poſteà verè ſe conſecutum animaduertit, quando cum iis, qui hæc à profeſſoribus magno labore didicerant, vnà contulit, & ſe paria illis intellexiſſe cognouit. Et ſanè præſtare in hac re adeò potuit, vtpote qui fuerit ingenio

Eſt αὐτοδίδακτος. Lib. 4. Cóf. c. 16.

Singulares animæ eius dotes.

genio ad miraculum acuto penitus & subtili iudicij acrimoniâ singulari, memoriâ pertinaci, cunctis denique naturæ dotibus iis, quibus ad scientiam peruenitur, cumulatissime redundarit. Quâ factum ratione, vt in facultate dicendi, ceterísque disciplinis liberalibus, mirum in modum excelluerit. Quod cùm aliis à sese libris compositis, tum iis maximè qui de Ciuitate Dei sunt inscripti, luculente testatur, in quibus germanissima vis artis Oratoriæ, Poëticæ, Philosophicæ, tum etiam Historicæ, & cuiusuis alterius facultatis, quasi succus quidam continetur. Quòd si res ab eo pertractatas inspexerimus, si notitiam antiquitatis, si dicendi modum, si decorum, in quo consistunt omnia, vel cum primis Oratoribus audebimus eum conferre. Quantus est in verbis eius splendor! quàm apposita propria! quàm venustæ translationes! quàm similia rebus accommoda! quàm insignes allegoriæ! quàm denique numeris omnibus oratio expolita!

Stilus Augustini.

Atqui tamen in multis eiusdem est sermo, qui Tullianis auribus non satisfaciat. Quod equidem, vt negare non est propositum, ita procliue sit defendere: potuit enim tam variâ tamque assiduâ tot auctorum minus Latinè scribentium lectione,

paulla-

paullatim is nitor infici; potuit desuetudo elegantiùs scribendi & commentandi multum atterere de stilo pristino; potuit ætate iam maturâ, splendoris huiusce, qui verborum est, nolle videri studiosior; quod idem vsu venisse D. Cypriano didicimus: vel, quæ ratio verisimilior est, prudentissimus Doctor, idemque amore flagrans in omnes incredibili, studere multitudini voluit, ideoque phrasim depressit vltrò, quò iuxtà à doctis & indoctis intelligeretur. Ita de sese testimonium dicit Enarratione in Psal. 138. *Non est occultatum os meum*, &c. *Melius est vt nos reprehendant Grammatici*, (dicendo, *ossum*, loco *os*) *quàm non intelligant populi.*

CAPVT IX.

In Hortensium Ciceronis incidit.

DVM autem adolescentior, sapientiæ studiis intentus, varios reuoluit auctores, in Ciceronis forte librum incidit, qui summis laudibus eam partem Philosophiæ, quæ de moribus est, in cælum extollit. Eâ lectione mutatis in diuersum affectibus, cœpit omnia quæ hîc iucunda sunt (si quid verè iucundum esse potest in hac, *mortali vitâ dicam, an morte vitali?*) paulatim contemnere. Verùm id malè eum habebat, quòd in eiusmodi scriptis nulla

Lib 3. Cōfess. c. 4.

Lib 1. Cōfess. cap. 6.



prorsus esset suauissimi nominis IESV mentio; cuius amorem quemdam iam inde ab infantiâ, cùm lacte nutricis vnà suxerat. Tanti refert à teneris assuescere. Ideoque viderint parentes quàm prosit Catholicè & sanctè filios enutriisse; ab his enim ætatis primordiis vt plurimùm totius vitæ ratio pendet. Quare si corporibus vt sana nutrix detur, in primis curant; quanto magis eos opus aduigilare, quò pars optima quàm optimè educetur? Plato vetat nutrices, friuolas ac turpes fabulas pueris narrare, ne rudes animos, ex initio stultitiâ & corruptis moribus imbuant. Atque idem Gregorius spectans, *Verba*, ait, *nutrientium*, *aut lac erunt*, *si bona sunt*; *aut venenum*, *si mala. Talia ergo nunc eis suggerant*, *quæ postmodum ostendant quàm bona fuerint*, *quæ à nutritorum suorum ore suxerint*. Atque adeò ipse Augustinus in hunc sensum: *Figam*, inquit, *pedes meos in eo gradu*, *in quo puer à parentibus positus eram*. Quocircà, cùm quidquid sine hoc dulcissimo nomine IESV erat (quod puer altiùs imbiberat) *quamuis literatum*, *& expolitum*, *& veridicum*, *non eum totum raperet*, ad Sacras literas se conuertit, in quibus sanctissimum hoc nomen inculcatur. Verùm non ita multò pòst, ab earum lectione resiliit, quòd ser-

Nomen IESV *cum lacte imbibit.*

NOTA.

Maxima ratio habẽda vt pueri Catholicè & piè educentur.

Lib. 6. epistolâ 187.

Lib. 6. Cõfess. c. 11.

sermo humilis, & verborum horridior compositio, nihil cum Tullianæ splendore eloquentiæ commune haberet. Neque tamen arbitratus est, nihil sub eis diuinum aut reconditum esse; sed quòd esset sic demulsus inanis facundiæ dulcedine, verborumq; modulato sono, decreuit alio tempore Sacris literis thesaurum latentem inuenire. *Vidi*, ait, *rem non compertam superbis, neque pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis: & non eram ego talis, vt intrare in ea possem, aut inclinare ceruicē ad eius egressus. Visáq; mihi est Scriptura indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius: verumtamen illa erat, quæ cresceret cum paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu, mihi grandis videbar. Incidi itaq; in homines superbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces.* Quod haud sanè mirandum: nam, vt Prudentius,

Scriptura phrasis Augustino displicet.

Lib. 3. Cōfess. cap. 5.

Procliuis superborum lapsus in hæresim.

Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

Et eodem Augustino teste, *diuersis in locis, diuersæ sunt hæreses: sed vna mater superbia cunctas gignit*; facileque est tumefactos homines Catholicæ humilitati præfractè aduersari.

De Pastor. cap. 8.

CAPVT X.

In Manichæos incidit, quibus tamen numquam omnino adhærescere, firmiter in animo statuit.

Lib. 3. Cō-fess. cap. 6. ERANT autem eâ tempestate quidam hæretici, quos à sectæ principe Manichæos dicebant: eratque hoc genere hominum nihil superstitiosius, vanius, aut pestilentius: fabulis ad hæc insigniter dediti, mendaciisque ac fraudibus non paucos mortales circumuenerant. Iidem fucatâ sanctitatis specie, verborumque quibus affluebant mirâ dulcedine, incautum adolescentem in suam sententiam pellexêre: erant siquidem in eorum ore *laquei diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis Dei, & Domini Iesu Christi, & paracleti consolatoris Spiritus sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sono tenus, & strepitu linguæ, ceterùm cor inane veri.* Et identidem vani clamabant (quod ipsum modò Nouatores, purum putumque verbum Dei) *Veritas, veritas, & nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur.* Quamobrem, vt ipse de se refert, numquam omnino talibus impostoribus adhærescere, firmiter in animo statuit; sed potiùs in eorum disciplinam se dedit, af-

Obserua hæreticorū vafram indolem.

fectu

fectu reperiendæ veritatis. Hi cùm illius desiderio flagrantem Augustinum, ad eam perducturos sese reciperent, nihil minus vmquam præstitere. Similes nimirum circumforaneis medicis (huius temporis hæreticos obserua) qui magno verborum strepitu populum rudem alliciunt, & insolentia pharmacorum, aliquando mortem iis adferunt, quibus sanitatem magnificè pollicentur.

CAPVT XI.

Somnium D. Monicæ de Augustini conuersione.

VERVM id temporis eum latebat, extra Orthodoxam eamque Romanam Ecclesiam nullum antidotum, nullum synchrisma, nullam salutem omnino, veritatemque reperiri. Quam vt apprehenderet, ex alto manum auxiliatricem Omnipotens extendit, precesque Monicæ matris tantas tamque assiduas frustrari non est passus; eius inquam matris, quæ mortem filij spiritalem haud dubiè lugebat grauiùs atque acerbiùs, quàm solent reliquę matres filiorum suorum mortem temporariam deplorare. *Videbat enim*, scribit ipse, *mortem meam ex fide & spiritu, quem ex te habebat; & exaudisti eam Domine. Ex-*

Nulla extra Romanam Ecclesiam salus.

Lib. 3. Cōfess. c. 11.

audiſti eam, nec deſpexiſti lacrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudiſti eam. Nam cùm antè filium tantopere auerſaretur, vt propter hæreſim Manichæam nollet ſub iiſdem ædibus cum eo degere, nedum congredi vel conueſci; mutatâ repentè in diuerſum mente, penitus conuictum eius eſt amplexa. Vnde hoc, niſi per ſomnium iſtud, quo ſuper filio diuinitus conſolationem accepit? Vidit enim ſeſe ſtantem in regulâ quadam ligneâ, venientemque ad ſe iuuenem ſplendidum, hilarem, ac renidenti vultu, cùm ipſa mœrore nimio confecta ſtaret. Qui cum rationem ab eâ quæſiiſſet mœſtitiæ lacrymarumque quas ſolebat quotidie profundere (nimirum docendi, vt aſſolent cælites, non diſcendi gratiâ) illique Monica reſpondiſſet, interitum filij ſe plangere: iuſſit illam animi ſecuram eſſe; ſimulque monuit, videret & attenderet, ſecum filium eodem loci conſiſtere. Quod illa obſeruans, vidit Auguſtinum iuxta ſe eadem in regulâ conſtare. *Vnde hoc,* (pergit ipſe) *niſi quia erant aures tuæ ad cor eius? qui ſic curas vnumquemque noſtrûm, tamquam ſolum cures; & ſic omnes, tamquam ſingulos.* Idipſum cùm ad ſeſe trahere vellet Auguſtinus, diceretque ſigni-

Somnium D. Monicæ, de Auguſtini conuerſione.

Eodem l.3. cap.11.

ſignificari per narratum iſtud ſomnium, matrem in ſuam tractum iri ſententiam; mox illa citra hæſitationem redarguit, inquiens, non ſibi dictum eſſe, *Vbi ille, ibi & tu; ſed vbi tu, ibi & ille*. Cuius tam eximiæ promiſſionis ſpe incenſa, non deſtitit per nouem ferè deinceps annos, ingente planctu lacrymiſque Deum interpellare: *Et intrabant* (ait ille) *in conſpectum tuum Domine preces eius, & me tamen dimittebas adhuc volui & inuolui illâ caligine.*

CAPVT XII.

Monica rogat Epiſcopum, vt Auguſtino fidem Orthodoxam ſuadeat.

HIS vt tenebris liberari poſſet, enixè ſollicita parens Epiſcopum quemdam SS. literarum valdè peritum adijt, ab eoque magnis precibus efflagitauit, vt cum Auguſtino verba faceret, deuiantemque miſerè per errorum ſalebras, ad veritatis Catholicæ viam adducere dignaretur. Qui prudenter quidem abnuens pro tempore, *reſpondit, eum adhuc indocilem, propterea quòd nouitate hæreſis iſtius, animos inflatos haberet, quódque nonnullis quæſtiunculis iam multos imperitos exagitaſſet*, prout etiam eidem Epiſcopo Monica præſignificarat: ſed, illum, dixit, ibi vt ſit, tute ſinito; Lib. 3. Cōfeſſ. c. 12.

tantum-

tantummodò Deum pro eo rogaueris; næ ipſe lectione plurium librorum, nefarij erroris impietatem deprehendet. Addidit etiam ſe paruulum à ſeductâ matre ſuâ datum fuiſſe Manichæis, & omnes pænè non legiſſe tantùm, verùm etiam ſcriptitaſſe libros eorum; ac demum ab ijs ſe profugiſſe impoſtoribus, cùm nullo contrà diſputante vel conuincente ſibi apparuiſſet, quàm eſſet illa ſecta fugienda. Quæ cùm ille retuliſſet, nec illa tamen acquieſceret, ſed vbertim flendo magis inſtaret, vt cum Auguſtino diſſereret; ille iam ſubſtomachãs tædio, *Vade*, inquit, *à me, ita viuas: fieri enim non poteſt, vt filius iſtarũ lacrymarum pereat.* Quod reſpõſum ſe accepiſſe dicebat illa filio perſæpè, familiariter loquens, ac ſi diuinum oraculũ auribus ſuis inſonuiſſet.

Per idem tempus, annos videlicet nouem, ab ætatis ſuæ vndeuigeſimo, vſque ad annum duodetrigeſimum, *ſeducebat alios atque ſeducebatur, falſus ipſe, nec non alios fallens, per varias cupiditates: palàm per doctrinas liberales; occultè verò, falſo nomine Religionis: hîc ſuperbus, ibi ſuperſtitioſus, vbique vanus, ac popularis gloriæ ſectans inanitatem, vſque ad theatricos plauſus, & contentioſa certamina, & agonem coronarum fænearum, & ſpectaculorum nugas, & in-*

Lib. 4. Cõfeſſ. cap. 1.

In diuerſa vitia prolabitur.

& intemperantiam libidinum. Quarum rerum & aliarum, quæ ſunt ridiculæ prorſus, vanitate perſpectâ, Deum deprædicat, cuius vnius ductu viam veritatis eſt ingreſſus, ad eumque ſe conuertens, *Quid*, inquit, *ego ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? aut quid ſum, cùm mihi benè eſt, niſi ſugens lac tuum, aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? Irrideant me arrogantes, & nondum ſalubriter proſtrati, & eliſi à te, Deus meus, ego tamen confiteor tibi dedecora mea in laude tuâ.*

CAPVT XIII.

Auguſtinus Fauſtum conſulit. Alienatur à Manichæis.

HVNC igitur errorum labyrinthum peruagatus annos nouem, offendit Carthagine illius ſectæ ducem Fauſtum nomine, quem auidiùs expectauerat, quòd ſperabat ab eo nodorum quorumdam difficilium, quos iſti de vulgo Manichæi non quiuerãt explicare, ſolutionem, *& inſignem honeſtarum omnium doctrinarum peritiam:* quam paullò pòſt ſapientior flocci pendens, *Infelix*, inquit, *homo qui ſciat illa omnia, te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui verò & te & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum*

Lib. 5. Cõfeſſ. cap. 3. & alijs.

Lib. 5. Cõfeſſ. cap. 4.

lum

lum beatus est; si cognoscens te, sicut Deum glorificet. Verùm cùm ille splendidis promissis, & insigni verborum suauitate duceret errantem longiùs, & nec ipse, quamuis esset Manichæus Episcopus, veritatem patefaceret; desperans Augustinus alium quemcumque facturum voto suo satis, ab eorum libris, omniq́ue cum iis communione fieri cœpit alienior: in quæstionem autem vnius sinceræ veritatis animum totum studiumq́ue conuertit.

Astrologia vanitatibus capitur.

Lib. 4. Cōfess. cap. 3.

Verùm vt ex vno quis absurdo facilè prolabitur in aliud, maxime cùm diuina gratia mentem destituit; non Manichæos tantùm, sed etiam Chaldæos consuluit, eos nimirum qui ex ortu nascentium, singula prædicentes, *totam*, vt ait, *animæ salubritatem interficere conantur, cùm dicunt, De cælo tibi est ineuitabilis caussa peccandi: &, Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars. Scilicet vt homo sine culpâ sit, caro & sanguis & superba putredo; culpandus sit autem cæli ac siderum creator & ordinator.* Hos Astrologos tanto desiderio cœpit audire, vt postmodum ab illis ægrè diuelli se permiserit, quantumuis

Lib. 7. Cōfess. cap. 6.

Nebridius charissimus illi, & medicus quidam Firminus liberaliter institutus, benignè & paternè monerent, vt libros illos Genethliacos abijceret, neque curam & operam

ram rebus vtilibus necessariam, illi vanitati nequidquam impenderet. Quorum ad extremum monitis cedens, ridicula prorsus hæc & inania esse sibi persuasit. Composuit sub idem tempus librum de Apto & Pulcro, quem Hierio Romanæ vrbis Oratori dedicauit: eoque libro non mediocrem splendorem nomini suo per Italiam acquisiuit. Lib.4. Cōfess. c.14.

CAPVT XIV.

Romam proficiscitur insciâ matre, eademq; in D. Cypriani sacello pernoctante.

POST hæc, tædio scholarum quas Carthagine habebat, affecto, Romam ire placuit, quòd eos mores discipulorum perpeti cogebatur, quos cùm studeret ipse, suos esse noluerat. Famâ verò acceperat, Romæ discipulos longè continentiores esse. *Verùm autem* (Deum appellans, loquitur) *Tu spes mea, & portio mea in terrâ viuentium, ad mutandum terrarum locum, pro salute animæ meæ, & Carthagini stimulos, quibus inde auellerer, admouebas, & Romæ illecebras quibus attraherer proponebas mihi per homines qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes, & ad corrigendos gressus meos, vtebaris occultè & illorum & meâ peruersitate.* Quam voluntatem Lib.5. Cōfess. cap. 8.

profi-

proficiſcendi Romam, cùm matrem ſuam celare vellet, ad littus adijt, ſpecie deducendi tantùm ad naues amicum, ſed reuerà, vt pòſt apparuit, cum amico pariter nauigandi cauſsâ. Subſequebatur mater, haud ſatis eiuſce verbis confidens, ſuadebatque ſecum vt rediret. Ille omnino facturum ſe reſpondit, vbi ſublatis anchoris amicus ſoluiſſet; hortatus Monicam, vt tantiſper in ſacello proximo, quod erat D. Cypriano ſacrum, expectaret, quoad ipſe cum officio amicum dimiſiſſet. Credidit dictis eius mater, totamque noctem Deum & Sanctos pro eius ſalute rogauit in eadem ædiculâ D. Cypriani: quæ, ſicut refert Nicephorus, maximè frequentabatur à nauigantibus & negotiantibus, quòd in eâ Dei Martyriſque opem inuocantes, eamdem frequenter experirentur contra pericula, quæ inter nauigandum ſolent accidere.

Lib. 16.

Diuorum ſpecialium inuocatio perutilis.

Eſt enim (vt hoc ne prætercam, cauſsâ Nouatorum) longo iam vſu receptum in Eccleſiâ Catholicâ, pro mali cuiuſpiam auerſione, vel boni cõparatione, Diuorum quorumdam propriorũ opem implorare. Atque in hunc modum, qualicumq; malo deprehenſi, ſanctiſſimam Dei Matrem in auxilium vocamus. Speciatim verò contra malum odontalgiæ D. Apollonia ſolet inuocari,

uocari; contra peſtem Diui Rochus & Sebaſtianus; contra vim ignium S. Antonius: à febrientibus præter ceteros, B. Nicolaus Tolentinas; à carcere tentis B. Petrus, à reſipiſcentibus S. Paulus, & vterque à naufragantibus auxilio vocatur. Ac pari ratione D. Ioannem colunt virginitatis ſtudioſi: & alios complures pro ſe quique velut patronos in cælis habent, quorum interceſſione apud Deum iuuari deſiderant. Hanc autem tam variam munerum diſtributionem, partim diuinitus edocti accepimus, partim cæleſtium ſpirituum monitu didicimus, partim etiam coniecturis euidentibus aſſecuti ſumus. Atque Diuos hiſce præcipuè in rebus beneficos erga nos experimur, quas ipſi res difficiles ac ærumnoſas ſuperauêre. *Vnuſquiſque enim proprium donum habet à Deo*, neque omnibus omnia conceſſa ſunt. Quodque dicit Apoſtolus de Seruatore: *In eo in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari:* eatenus cæleſtibus applicamus: quatenus diuerſi diuerſa poſſunt in eo qui poteſt omnia. Igitur vt redeamus vnde digreſſi ſumus, in eà D. Cypriani ædiculâ pernoctantem Monicam Auguſtinus ſpecie deducendi ſocium ad naues fefellit, atque intempeſtâ nocte, cùm venti afflarent ſecundi, Ita-

Hebr. 2.

Matri imponens nauigat in Italiam.

di, Italiam versus nauigare cœpit. Quam imposturam, vt impiam profectò, grauiter deplorans, ait: *Fefelli eam, & mentitus sum matri, & illi matri. Et hoc tu dimisisti mihi, misericorditer seruans me ab aquis maris, plenũ execrandis sordibus, vsq; ad aquam gratiæ tuæ: quâ me abluto, siccarẽtur flumina maternorũ oculorũ, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu suo.* Illucescẽte die, Monica oratorium egressa, filium vt reuocaret, litus propiùs adijt: quem profectum esse intelligens, *gemitu querelisq; Dei aures* (verba fere sunt ipsius) *impleuit, contemnentis ista, cùm & illum cupiditatibus suis raperet, ad finiendas ipsas cupiditates, & istius carnale desiderium iusto dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum præsentiam filij, more matrum, & multis illa multo ampliùs: & nesciebat, quid illi gaudiorum facturus esset Deus de absentiâ eius*, quem tantopere diligebat. *Nesciebat, ideò flebat, & eiulabat, atque illis cruciatibus rea monstrabatur reliquiarum Euæ, cum gemitu querens, quod cum gemitu pepererat. Et tamen post accusationem fallaciarum & crudelitatis eius,* qui

—— æquora vasta secabat,
Durus, & afflictæ contemnens vota parentis,

conuersa rursus ad deprecandum Deum pro

Lib. 5. Cõfess. cap. 8.

Luctus Monicæ.

ſalute filij, *redijt ad ſolita*, atque illum, traiecto mari, Roma ſuſcepit.

CAPVT XV.

Roma febri corripitur. Manichæis & Electis coütitur, quibus Academicos præfert.

ILLVC cùm perueniſſet vt Rhetoricam profiteretur, ecce præſens Dei vltio; febri corripitur ardentiſſimâ: quæ licet aëris inſolentiæ queat attribui, ſimul ad Dei vindictam attinuiſſe, poteſt intelligi. Nam ijs, quæ caſu, vel naturâ ſic poſcente fiunt, ad ſuum præuiſum finem ac ordinem altior vtitur Dei prouidentia. Eò ſpectant eiuſce hæc verba: *Ingraueſcentibus febribus, iam ibam & peribam. Quò enim irem ſi tunc hinc abirem, niſi in ignem, atque tormenta digna factis meis, in veritate ordinis tui? Et illa hoc neſciebat, & tamen pro me orabat abſens. Tu autem vbique præſens, vbi erat, exaudiebas eam; & vbi eram, miſerebaris mei, vt recuperarem ſalutem corporis mei, adhuc inſanus corde ſacrilego. Neque enim deſiderabam in illo tanto periculo Baptiſmum tuum; & melior eram puer, quando illum de maternâ pietate flagitaui. Sed in dedecus meum creueram, & conſilia medicinæ tuæ demens irridebam, qui me non ſiuiſti talem bis mori. Quo vulnere ſi feriretur cor matris, numquam ſanaretur.*

Lib 5. Cõfeſſ. cap. 9.

tur. Non enim ſatis eloquor, quid erga me habebat animi & quantum maiori ſollicitudine me parturiebat ſpiritu, quàm carne pepererat. Et vbi eſſent tantæ preces, & tam crebræ ſine intermiſſione? nuſquam niſi ad te. An verò tu Deus miſericordiarum, ſperneres cor contritum & humiliatum viduæ caſtæ ac ſobriæ, frequentantis eleëmoſynas, obſequentis atque ſeruientis Sanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum: bis in die, manè & veſperè, ad Eccleſiam tuam ſine vllâ intermiſſione venientis, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, ſed vt te audiret in tuis ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus. Huiúſne tu lacrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum; ſed ſalutem animæ filij ſui, tu, cuius munere talis erat, contemneres & repelleres ab auxilio tuo? nequaquam Domine. Imò verò aderas, & exaudiebas, & faciebas ordine, quo prædeſtinaueras eſſe faciendum. Abſit, vt tu falleres eam in illis viſionibus & reſponſis tuis, quæ illa fideli pectore tenebat, & ſemper orans tamquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in ſæculum miſericordia tua, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promiſſionibus tuis debitor fieri. Recreaſti ergo me ab illâ ægritudine, & ſaluum feciſti filium

Laudes diuæ matris Monicæ.

NOTA.

ancillæ tuæ; tunc interim corpore, vt esset, cui salutem meliorem atque certiorem dares. Hactenus Augustinus.

Romam allapsus, initio coniunctus est falsis illis atque fallentibus Manichæorum sanctis, iisque prætereà qui Electi dicebantur: impiè profectò cum illis sibi persuadens, non esse se qui peccarat, sed nescio quam aliam in eo peccasse naturam. Inter hæc desperantem se in eadem posse doctrinâ proficere, simulque remissius huic immorantem, quoad melius aliquid esset consecutus, subijt cogitatio, ceteris prudentiores fuisse philosophos Academicos, qui de omnibus dubitandum esse, nec aliquid veri à quoquam deprehendi posse, censuerunt. Quamobrem & hospitis sui Manichæi, cuius erat æger vsus hospitio, repressit nimiam fiduciam, quam is habebat de rebus fabulosis, quibus Manichæorum libri scatent. Horum tamen consuetudine vtebatur adhuc familiariùs, non quòd eam hæresim animositate pristinâ defenderet, sed quòd eorum Romæ magna copia, quibus erat necessitudine deuinctus, tardiùs eum sineret aliud inuestigare, præcipuè diffidentem penitus, in Ecclesiâ Dei Catholicâ posse reperiri veritatem, à quâ eum illi diuerterant. Insigniter enim turpe ei vide-

Romæ Manichæis & Electis coniungitur.

batur credere, Dominum rerum omnium, humanæ carnis figurâ præditum esse; ideoque *metuebat credere in carne natum, ne credere cogeretur ex carne inquinatum.*

Lib. 5. Cōfess. c. 10.

CAPVT XVI.

Romæ discipulos colligit.

Lib. 5. Cōfess. c. 12.

INTER hæc sedulò cœpit agere cuius rei caussâ Romam venerat, intra domesticos parietes colligendo discipulos aliquot nobiliores, per quos innotesceret. Sed neque ibi, quàm in Africâ, meliores est expertus. Subitò enim ne minerual pendant doctoribus conspirant, ad aliumque magistrum transfugiunt, *desertores fidei, quibusq; præ charitate pecunia, iustitia vilis est. Fornicantur*, inquit, *abs te; amando volatica ludibria temporum, & lucrum luteum, quod cùm apprehenditur, manum inquinat, & amplectendo mundum fugientem, contemnendo te manentem, & reuocantem, & ignoscentem redeunti ad te meretrici animæ humanæ*. Locum autem in quo inibi docuit eloquentiam, adhuc hodie obseruari, eumque dici *S. Maria della Scuola Græca*, testatur Martinus Aumpies Decanus Moguntinus.

Lib. 1. sui Itiner. & 5. cap. 12.

CA-

CAPVT XVII.

Româ Mediolanum mittitur eloquentiam professurus.

Ex Vrbe postmodum, curantibus negotium Manichæis, (irridente eorum conatus Altissimo, simulque eorum operâ in finem optimum vtente, vt relictis omnino detestandis Manichæorum erroribus, ad veram Christi Ecclesiam aggregaretur) Mediolanum destinatur à Symmacho Romanæ vrbis Præfecto, qui ab Imperatore & Mediolanensibus rogatus erat, vt eis præcellentem in arte dicendi virum submitteret. Nec secùs accidit: nam magnâ cum laude literas humaniores, & dicendi rationem Mediolani est professus. Ibi summis quoque viris, atque adeò Valentiniano Iuniori Imperatori fuit pergratus. Celebris etiamnum ibi viget eiusdem memoria, locusque in quo Rhetoricam est professus, *Cathedra S. Augustini* vocatur; non exiguum profectò sui sequacibus, vt literas profiteantur, exemplum. Eodem hactenus loci, viri præstantes, ac in ceteris æuo nostro Cl. D. Erycius Puteanus, auctoritate publicâ bonas artes docuit.

Cathedra D. Augustini Mediolani.

Capvt XVIII.

Augustinus se in D. Ambrosij Episcopi Mediolanensis amicitiam insinuauit.

Lib. 5. Cōfess. c. 13. & 14.

HIC initiò se in D. Ambrosij Episcopi Mediolanensis amicitiam insinuauit, *cuius* (scribit ipse) *eloquia strenuè ministrabant adipem frumenti Dominici, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo*. Fuit autem perhumaniter Augustinus ab eodem acceptus, ideoque vicissim Ambrosium amauit; non quidem tamquam doctorem veritatis, sed tamquam virum benignum & hospitalem. Hunc pro concione verba facientem, disserentemque, audiebat studiosè: non intentione quâ par erat, sed velut eius facundiam obseruaturus; ceterùm rerum quæ ab eo tractabantur incurius atque contemptor: quæ tamen res, vnà cum verbis quorum erat studiosior, pariter in animum descendebant, sed gradatim illæ quasique pedetentim subibant. Nam primùm mysteria fidei nostræ (pro quâ nihil dici posse contra Manicheos oppugnantes, hactenus erat opinatus) defendi posse, cumque ratione asseri, solutis maximè quibusdam Scripturę veteris ęnigmatibus, sibi persuadebat; reprehendens hanc suam antedictam de Sacris libris opinionem;

Templum adit D. Ambrosij facundiam obseruaturus.

nionem;

nionem: nec tamen ideò, Catholicam viam ineundam esse, satis illi probabatur. Cogitabat enim quòd & hæc posset habere doctos assertores suos, qui copiosè nec absurdè aduersus eam obiecta refellerent: nec propterea damnandum esse quod tenebat, quia defensionis partes æquarentur. In id autem ingenij neruos intendit, vt certis aliquibus argumentis Manichæos erroris conuinceret: quod cùm minùs succederet, more Academicorum inter omnia fluctuans, deque omnibus addubitans, Manichæos censuit esse sibi relinquendos. Neque tamen Philosophorum, quos huic sectę præponebat, sententijs inhærere decreuit, quòd salutare Christi nomen penitus apud istos obscurum esset. Statuit autem in Ecclesiâ Catholicâ, quam à parentibus commendari acceperat, eousque catechumenus degere, quoad aliquid elucesceret, ad quod potissimùm vitæ cursum dirigeret. Nec enim iam tum obscurè cogitantis animum vellicabat, quantam felicitatem pro breuissimâ momentaneaque delectatione amitteret: insuper & horrendos in alterâ vitâ cruciatus esse tolerandos impijs, perpendentis haud leuiter mentem excruciabat. Quomodo verò post longos circuitus errorum ad portum redierit, egregiâ simili- Nota.

Tom. 4. anno 384. n 31.

Videant errones, quomodo ad Ecclesiam Catholicā Romanam cōsultò cursum reflectant.

tudine declarat fel. rec. Cardinal. Baronius: *Accidit planè Augustino, ac si quis è portu soluens, vndique ventorum turbinibus exagitatus, iactaretur vndique fluctibus: qui diù oberrans, omni spe prosperæ nauigationis amißâ, nihil sibi consultius accidere posse intelligit, quàm si ad portum vnde soluerat, reuertatur: ita nempe qui à decimo nono, vt ait, anno veritatis indagandæ cupidus, nobilis ingenij vela panderat, Manichæorum flatus impetu raptus, cæcâ offusus diu caligine, & in incerto errans, aduertit tandem se longè longiùs à portu quem quæsierat veritatis abesse, à quo & remotiùs aberrasse, cùm imprudens Academiam quæsiuit; sed citò sensit, quòd non veritatis portus, sed reuerà statio tantùm esset malè fida carinis. Quamobrem magno desiderio illum cupere ac quærere portum benè cœpit, vnde malè soluisset; ac licet serò, nouit tamen verè illam veritatis tutißimam mansionem, in quâ primò ætatis adultæ tempore versatus erat, dum à parentibus traditus est Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, factúsque catechumenus.* Hæc ille.

CA-

CAPVT XIX.

Mater ex Africâ Mediolanum venit, vt sanioriem filio mentem suadeat.

INTEREA temporis mater eius, difficile dictu quantum sollicita pro salute absentis, ex Africâ, terrâ marique filium prosecuta, atque adeò in ipsis periculis animosâ pietate nautas consolata, Mediolanum venit. Vbi post mutuas consalutationes & amplexus, simulac ex Augustino didicit, eum iam neque Manichæum esse, neque Catholicum Christianum; non quasi quid inopinatum audiisset, turbulentis exultauit iubilis, sed tamquam certò quod restabat acceptura, ab eo, *qui totum ei promiserat*; *placidissimè cordeque fiduciæ pleno respondit*, credere se diuinis pollicitationibus, nimirum quòd priusquam ex hac vitâ migraret, visura foret filium Catholicum. Quamobrem preces frequentiores lacrymasque copiosiores ad Deum fundebat, vt acceleraret eum illuminare, qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebat, vtque sitientem veritatis, ex ore suspenderet Ambrosij, vnde posset haurire suauem illum liquorem aquæ salientis in vitam æternam. *Diligebat enim virum illum velut Angelum Dei*, quòd per eum, sublatâ hæresi de mente Au-

Lib. 6. Cōfess. cap. 1.

D. Monica in S. Ambrosium affectus.

te Augustini, ipsius haud dubiè speraret plenam atque integram in fide Catholicâ sanitatem. Quamobrem Ambrosio reprehendenti eam, quòd Agapem exhiberet (id est anniuersaria Martyrum die epulas adferret pauperibus in Ecclesiâ distribuendas) simul ac intellexit eam consuetudinẽ Mediolani sublatam esse, humillimè paruit. Rogatus autem ab eâ Ambrosius de ieiunio Sabbati, respondit vt cuiusuis se Ecclesiæ consuetudini attemperans, Mediolani Sabbato pranderet; Romæ autem dum esset, Romanum ieiunandi morem obseruaret. Eam autem quanti fecerit, ostendunt eius hæc verba: *In omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiam*. Ceterùm eiusmodi rituum diuersitates non improbari in eis, qui vnâ fide Catholicâ coniunguntur, S. Augustinus pluribus docet in epistolâ ad Ianuarium. Viciſſim quoque S. Monicam Ambrosius diligebat propter eius religiosiſſimam conuersationem, quodque pietatis operibus impensè dedita, feruenti affectu loca sacra frequentaret: quin eousque prosequebatur eam charitate, vt sæpè sæpiùs Augustinum intuitus, in eiusce ferretur deprædicationem, *gratulans ei quòd talem matrem haberet.*

Lib. 6. Cõfess. cap. 2.

Augustin. ep. 86. ad Casul.

Lib. 3. de Sacram. c. 1

Lib. 6. Cõfess. c. 2. & 3

CA-

CAPVT XX.

Beati Ambrosij cœlibatus, eiusq́; variæ opiniones Augustinum remorantur.

IGITVR Ambrosij pręcipuam dignitatem, viuendique rationem ac modum, honores adhæc quibus afficiebatur à summis viris, tacitus approbabat: cœlibatus tantùm (vt ipse quidem erat affectus) grauis atque molestus videbatur. Æstimabat enim virum sanctum ex moribus suis; nec adhuc nouerat, quantâ quamque sincerâ voluptate frueretur mens ab omni labe criminis vacua; neque diiudicabat, quid solatij diuinitus perciperet vir sanctus ex absentiâ turpis eiusce delectationis, quæ homini cum brutis animantibus communis est: sed neque nouerat sapidissima eius gaudia, quæ panis Angelici gustu castis proueniunt; cuius vnius comparatione voluptates inanes furfures, *vmbra & somnium*, adeoque merum nihil censeri debent. Verùm id voluptario iuueni suasu videbatur perdifficile; qui de tam cœnoso libidinum profundo non priùs emersit, quàm mortem, animorum immortalitaté, iudicium extremum, pœnasque impiis hominibus apud inferos decretas attentâ mente cœpit expendere. Voluisset huic sancto viro suæ mentis æstus indi-

Augustino cœlibatus D. Ambrosij molestior videbatur.

Castitatis præstantia.

Lib. 6 Cōfess. cap. 3.

Chrysost. hom. 3. ad pop. Antiochen.

Libidinũ frenũ, futurorum meditatio.

Lib. 6. Cōfess. c. 16.

indicare, liberiusque cum eo de variis quibus angebatur quæstionibus tractare; sed erat accessus difficilis, secludentibus eum ab illius aditu cateruis negotiosorum hominum, quorum inopiæ necessitatibusque ille seruiebat tam assiduè tamq; indefessè, vix vt reficiendo corpori tempus suppeteret. Quod autem tot ac tantis occupationibus temporis (quod sanè perexiguum erat) succidere poterat, id totum sacræ lectioni dabat, vt animum eâ pasceret: cui quidem lectioni sic erat intentus, vt frequenter intrantes (patebat enim locus omnibus, nec arcebatur aliquis) non animaduerteret. Quamobrem & Augustinus ceterique, cùm diutiùs expectassent, neque vellent tam attento molestiam adferre, nonnumquam ipso non aduertente recedebant, coniicientes eum modico tempore, quod reficiendæ menti nactus erat à strepitu caussarum, in aliud nolle seuocari. Quare non fiebat ei *copia sciscitandi quæ desiderabat ex tam diuino oraculo; nisi fortè breuiter quidpiam esset audiendum: æstus autem* illius varij simul & copiosi, *requirebant otiosum eum cui refunderentur*, nec satis vmquam reperiebant. Lib.6.c.3.
Interim ómni Dominico die verbum veritatis tractantem è pulpito audiebat; & magis ac magis ei, omnes versutarum calumnia-

niarum nodos quos aduersus diuinos libros innectebant Manichæi, posse dissolui, probabatur, accedente præsertim aliorum doctiorum instructione, à quibus Sacrarum literarum sensus expeti debet. Quâ de re, *Si*, inquit, *vnaquæque disciplina, quamquam vilis & facilis, vt percipi poßit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius, quàm diuinorum Sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?* Ab his igitur spiritalibus Catholicæ matris Ecclesiæ filiis saniorem edoctus sententiam de ortu hominis ad Dei imaginem facti, grauiter erubuit se tot annos non aduersus fidem Catholicam, sed corporearum imaginationum figmenta constitisse: eò namque processerat vesaniæ, *vt ea quæ debebat inuestigando discere, accusando diceret*. Itaque rerum præteritarum non absque rubore memor, gaudebat Ecclesiam Orthodoxam non istas infandas nugas proponere, quas ipse fuerat pridem secutus; neque Deum humanorum specie membrorum terminare. Et quamuis contextus diuinæ Legis & Prophetarum minùs ei absurdus videretur, ad hæc frequenter audiret sanctum Ambrosium hæc inculcantem, *Litera occidit, Spiritus autem viuificat*; eumdemque sacræ

Lib. De vtil. credendi, cap. 17.

Lib. 6. c. 3.

Multa sæpè Religioni Catholicæ calumniosè affinguntur.

Lib. 6. c. 4.

2. Cor. 3.

ſacræ noſtræ Religionis myſteria probabilitate magnâ docentem attenderet; intellectum tamen in obſequium fidei noſtræ dare captiuum refugit, veritus ne iteratò deciperetur: *Inſtar*, ait, illius, *qui malum medicum expertus, etiam bono ſe timet committere. Quapropter ab omni aſſenſione cor ſuum reuellebat, præcipitium veritus, ipſoq́; ſuſpendio* miſer *peiùs necabatur. Volebam*, ait, *eorum quæ non videbam, ita me certum fieri, vt certus eſſem, quòd ſeptem & tria decem ſunt*: quod ſanè in rebus quæ fidem ſpectant, fieri nequit; cùm hæc fundamento conſtet firmiſſimo quidem ac certiſſimo, verumtamen ineuidente ac obſcuro. Vnde cùm ſanari credendo potuiſſet, metuens ne fidem rebus falſis adhiberet, curationem abnuit, Dei manibus ſalutiferis obluctando, cuius tamen vnius medicamenta, quæ ſunt fidei ſanæ atque ſinceræ, totius incredulitatis morbos poſſunt auertere.

CAPVT XXI.

Catholicam doctrinam, quamuis res ineuidentes contineat, reliquis præponit.

Lib. 6. c. 5. PRÆPOSVIT tamen exinde ceteris omnibus doctrinam Catholicam, quòd illam videret nonnullarum quidem rerum, quæ non demonſtrantur, fidem exigere; reliquùm

liquùm modeſtiùs, minuſque fallaciter (ita tum iudicabat) quàm Manichæos vel alia monſtra hæreticorum ad credendum eas inſtare. Hi enim res abſurdiſſimas, quæ omnino nequeunt demõſtrari, cum temerariâ ſcientiæ pollicitatione credendum eſſe præcipiunt. Deinceps paullatim clementiſſimus Deus ad Catholicā fidem accipiendum emolliit cor Auguſtini; expendentis ſecum quàm innumerabilia crederet hiſtoricis, amicis, medicis, reliquiſque hominibus, quæ tamen ipſe non viderat; tum etiam quàm inconcuſsâ fide crederet idipſum, quibus ortus eſſet parentibus; *quod profectò ſcire nequaquam poſſet, niſi audiendo crediidiſſet*. Ad hæc ſibi perſuaſit grauiter culpandos eos eſſe, qui credere nollent Libris ſacris, qui tantam, Deo ſic prouidente, apud omnes pænè gentes auctoritatem obtinent. Nec audiendos putauit, ſi qui fortè dicerent: *Vnde ſcis illos libros vnius veri & veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi miniſtratos? Idipſum enim maximè credendum erat: ſicut &, Deum eſſe, & rerum humanarum* ſatagere. *Quod*, inquit, *credebam aliquando robuſtiùs, aliquādo exiliùs: ſemper tamen credidi & eſſe te, & curam noſtri gerere, etiam ſi ignorabam vel quid ſentiendum de ſubſtantiâ tuâ, vel quæ*

Fides incuntium neceſſaria.

Scriptura diuina firmiter credendum.

Lib.6.Cōfeſſ.cap.5.

via duceret, aut reduceret ad te. Ideoq; cùm essemus infirmi ad inueniendum liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate Sanctarum literarum, iam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & ipsam credi, & per ipsam te quæri voluisses. Iam enim absurditatem, quæ in illis Literis solebat offendere, ad Sacramentorum altitudinem referebam, eoq; ea mihi venerabilior & sacrosanctâ fide dignior apparebat auctoritas, quò & omnibus Nota. *ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret, verbis apertißimis & humillimo genere loquendi se cunctis præbens. Cogitabam hæc, & aderas mihi; suspirabam, & audiebas me; fluctuabam, & gubernabas me; ibam per sæculi viam latam, nec deserebas me.*

Capvt XXII.

Panegyricum recitaturus coram Imperatore, mendiculi occasione suã miseriam agnoscit.

Lib. 6. Cõfess. cap. 6. INHIABAT *tum honoribus, lucris, coniugio; patiebaturq; in eis cupiditatibus amarißimas difficultates Deo propitio, tanto magis, quanto minùs sinebat ei dulcescere, quod ipse non erat.* Quam rem prosequens, *Vide*, ait, *cor meum Domine, & nunc tibi inhæreat anima*

ma mea, quam de viſco tam tenaci mortis exuiſti. Quàm miſera erat! Et ſenſum vulneris tu pungebas, vt reiectis omnibus, conuerteretur, & ſanaretur à te, qui es ſuper omnia. Hanc veram humani generis miſeriam, ingenioſè vt ſolet, animaduertit occaſione panegyricæ orationis, quam coram Valentiniano habuit Imperatore, ſub annum Dominicæ Incarnationis CCCLXXXV. Cùm enim vicum quemdam Mediolani pertranſiret, obuium habuit mendicum inſigniter ſaturum, & curatâ cute renidentem: quem cùm iocari ac lætari videret, grauiter ingemiſcens, conqueſtus eſt collegis ſuis Alipio & Nebridio, ceteriſque qui aderant; quòd doloribus inſanarum cupiditatum non vellent aliud quàm ad ſecuram lætitiam peruenire, quò mendicus ille iam eos præceſſiſſet, numquam forſitan illuc peruenturos. *Quod enim*, inquit, *ille pauculis & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego, tam ærumnoſis anfractibus laborum ambiebam, ad lætitiam ſcilicet temporalis felicitatis.* Non enim verum gaudium, neque æterna felicitas his ineſt. Vnde pedetentim à rebus hiſce fluxis & tranſeuntibus factus alienior, ſi quid proſperum offerebatur, apprehendebat ſegniùs, *quod ipſum penè antequam teneretur, auolaret.*

Occaſione mendici, cupiditatis mundanæ vanitatem animaduertit.

Temporalis felicitatis inane gaudium.

CAPVT XXIII.

Feruet studio veræ sapientiæ.

FERVERE iam cœperat studio veræ sapientiæ, proponens, si quidem eam inuenisset, *relinquere omnes vanarum cupiditatum spes inanes, atque insanias mendaces.* Ætate itaque iam notabiliter auctâ (trigesimum ætatis agebat annum) pigebat ipsum in eodem luto desideriorum præsentis vitæ demersum hærere. Quapropter finem huic æquiori deliberationi volens imponere, ad æquales suos conuersus dixit, *se pedes in eo gradu figere velle, in quo puer à parentibus erat constitutus, donec manifestam veritatem penitus esset assecutus.* Sed indidem nouis molestiis exurgentibus, subdit: *Vbi quæretur? quando quæretur? Non vacat Ambrosio, non vacat legere. Vnde ipsos codices quærimus? vnde, aut quando comparamus? deputentur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ. Magna spes oborta est, huic seriò insistamus, etiam cum dispendio aliarum rerum. Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania: conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est, mors incerta. Si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Et vbi nobis discenda sunt, quæ hîc negleximus? An non potiùs*

Lib. 6. Cō-fess. c. 11.

Omnia salutis ac veræ Religionis inquisitioni postponenda.

tiùs huius negligentiæ supplicia luenda sunt? Quid si mors ipsa omnem curam cum sensu amputet? quid cunctamur igitur relictâ spe sæculi conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam?

CAPVT XXIV.

Conuersionis salebra coniugium breuî ineundum, quod dissuadet Alipius. Cum eodem & Nebridio de finibus bonorum & malorum disputat Augustinus.

OBVERSABANTVR inter hæc imagines rerum mundanarum, ac noxiæ amicorum voces, nuptias & non cœlibatum ei persuadere nitentium. Et dum his cogitationum tabificarum febribus cor æstuaret, *transibant*, inquit, *tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & de die in diem viuere in te Domine, & non differebam quotidie in meipso mori. Amans beatam vitam, timebam illam in sede suâ, & ab eâ fugiens, quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminæ priuarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ, ad eamdem infirmitatem sanandam non cogitabam, quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius; cùm tam stultus essem, vt nescirem, sicut scriptum est, nemi-* Lib. 6. Cõfess. c. 11.

Sap. 8. *nem esse posse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solidâ in te iactarem curam meam.* Atqui nitebatur eum Alipius à nuptiis auertere; caussatus nullo modo posse sapientiæ studio vxorique simul vacari. Hunc vicissim contrariis, quoad poterat, exemplis refutabat Augustinus eorum virorũ, qui sapientiæ gloriâ floruissent, quantumuis coniugij vinculis implicarentur: *delectatus* nimirum *morbo carnis, mortiferâ suauitate trahebat catenam suam, solui timens, & quasi concusso vulnere repellens verba benè suadentis, tamquam manum soluentis.* Arbitrabatur enim reuerà se vitam cœlibem nullo modo posse degere. Quâ de caussâ obstupefactus Alipius, non satis assequebatur, quî tantopere hæreret visco illius voluptatis; adeò vt & ipse propemodũ matrimonium amplecteretur: non id quidem cupidine vel voluptate stimulante, sed curiositate quadam, hanc ipsam Augustini (quem magni faciebat) cupiditatem experiundi; *venturus in ipsam experientiam, atque inde fortasse lapsurus in eam, quam stupebat, seruitutem.* Hoc igitur consilio petebat Augustinus, impigreque ab aliis, matre præsertim salutis eius studiosissimâ, illi petebatur, & *promittebatur virgo ferè biennio*

Alipius Augustino coniugium dissuadet.

Lib. 6. Cõfess. cap. 12.

Lib. 6. Cõfess. c. 13.

nio minor, quàm vt nubilis esset: quiaque visum erat eamdem ducere, tempus idoneum expectabat. Detestatus interim humanæ vitæ quotidianas molestias, iam ferè decreuerat ipse, cumque eo decem alij, à turbis otiosè viuere, & vnam ex omnibus rem familiarem conflare, duosque in singulos annos deputare, qui ceteris quiescentibus, rei domesticæ curam haberent. Verùm non ita multò pòst, expendentibus naturam muliercularum (quas & quidam eorum iam habebant, quidam autem habere volebant) tali instituto facilè refragari posse, tota res ea euanuit; sed & ipse fuit in deteriora miser prolapsus. Quare ingemiscens exclamat: *O tortuosas vias! væ animæ audaci, quæ sperauit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Tu solus requies, à labore & solutioris vitæ alternantibus fluctibus*: quos vt euaderet, non parum adiuuit *metus mortis & futuri iudicij, qui per varias quidem opiniones, numquam tamen recesserat de pectore eius.* Disputabat inde cum Alipio & Nebridio de finibus bonorum & malorum: aiebatque penitus *Epicurum in animo suo palmam relaturum fuisse, nisi credidisset, à morte restare vitam animæ:*

Vita cõmunis studio tenetur.

Solus Deus requies à labore.

Lib.6. Cõfess. c.16.

Immortalitas animæ.

recteque factis locum fore; quod ipsemet Epicurus credere noluit. Inquirebat autem animæ immortalitatem, *perpetuam corporis, sine vllo amissionis timore, voluptatem*, veramque beatitudinem: sed præ ceteris Dei cognitioni vehementer insudabat: quem licet corruptionis expertem, *nec violabilem, nec mutabilem*, eumdemque vnicum ac summum bonum *totis medullis crederet*; tamen incorporeum vt intelligeret, haud valebat: sicut & ipsius mali caussam non ex animi sententiâ percipiebat, quam tamen sagaciore paullatim mentis ductu, non in Deum retulit, vtpote dulcissimum omnis boni fontem; sed neque in diabolum, quem licet *antiquum* vocet *peccatorem, & præpositum mortis*, fuit tamen bonus ab optimo Conditore factus: sed mali caussam reuerà in liberum arbitrium hominis exorbitantis turpiter, & sese à summo bono retorquentis suamet peruersâ voluntate, coniecit.

Lib.7. Cõfess. cap.1.

Quæ caussa mali.

CAPVT XXV.

Persuasum habet, in Ecclesiâ Catholicâ esse fidem Christi, cui reperiundæ tumor mentis eius obsistit.

HÆC aliaque id genus anxiè secum voluebat, curisque mordacissimis exerceba-

çebatur, quas de timore mortis, animo conceperat. Et licet *haud inuentâ clarè veritate, stabiliter tamen hærebat in corde eius in Catholicâ Ecclesiâ fides Christi, in multis quidem adhuc informis*, non tamen vti pridem obscure ac perplexe hæsitabat, quippe quam, reiectis Mathematicorum deliriis, magis ac magis sectabatur: credens non leuiter, in Scripturis sanctis, quas Ecclesiæ Catholicæ commendarat auctoritas, viam salutis diuinitus indicatam fuisse ad vitam illam à morte sempiternam. In quâ reperiundâ deplorat ingenti remoræ sibi fuisse sagientis nimirum mentis tumorem, per quem interiores velut animi oculi claudebantur. Qui tamen tumor posteà resedit, depressus occultiore manu Dei; *& acies mentis eius contenebrata, salubrium dolorum velut acri collyrio*, quotidie magis ac magis fuit sanata. Quam in rem sibi profuisse fatetur lectionem Platonis, in quo nonnulla reperit, quæ Christianæ doctrinæ neutiquam aduersantur. Inde monitus vt ad seipsum regrederetur, *Intraui*, inquit, *in intima mea, duce te, & potui, quoniam factus es adiutor meus. Intraui & vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eumdem oculũ animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, quam is nouit, qui nouit veritatem:*

Lib. 7. Cõfess. cap. 5. & 6.

Lib. 7. Cõfess. c. 8.

Afflictio vtilis.

Lib. 7. Cõfess. c. 10.

tatem: & qui nouit eam, nouit æternitatem. Tu es Deus meus, tibi ſuſpiro die ac nocte. Et cùm te primùm cognoui, tu aſſumpſiſti me, vt viderem eſſe quod viderem, & nondum me eſſe qui viderem. Et reuerberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore, videlicet diuinæ pulchritudinis ac bonitatis; *& horrore*, nempe mali ac peccatorum, præcipueque damnationis æternæ, cuius metus, beneficio luminis eiuſce ſuperni, mentem eius clariùs excarnificabat.

CAPVT XXVI.

Myſteria fidei propiùs intellectu aſſequitur.

TVM præſertim *inuenit ſe longè eſſe à Deo in regione diſſimilitudinis, tamquam audiret vocem Dei de excelſo: Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me*; non hæc tantùm, quæ tibi nunc obſeruantur dubia, ſed & plura maioraque, ſequentibus temporibus de meipſo plenius intelligendo: *nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*, per ſimilitudinem morum & vitæ. Sed enim imbecillitatem mentis in ſalutis ratione inueſtigãdâ confités, *Cognoui*, ait, *quoniam pro iniquitate* (propter antecedentia delicta) *corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam*

animam eius: vt quemadmodum illa sese euiscerans, præter telarum quisquilias nihil efficit; sic & ille mentem ingeniumque absumat consectando veritatem, neque tamen eam veram ac germanam assequatur. Quod adeò in ipso verum fuit, vt quasi veteri errore cuncta spatijs commensa ratus, dixerit, *Nũquid nihil est veritas? quoniã neq; per finita neq; infinita spatia diffusa est.* Atqui Deus pro suâ pietate, diligentiæ eius subueniens, de longinquo (quoniam adhuc longè ab eius morali similitudine & perfectiore cognitione dissidebat) acclamabat, *Imò verè sum, qui sum.* Quod responsum non cognitionem inanem, sed veram fuisse reuelationem, sibi diuinitus factam ostendit, inquiens; *Audiui sicut auditur in corde, & non erat prorsus vnde dubitarem: faciliusq; dubitarem viuere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspicitur*, quæ gradatim per res corporeas, ad eas quæ sublimiores sunt ascendendo, manifestè deprehendit; *sed aciem figere non valuit, quia non secum ferebat, nisi amantem* (Dei) *memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum posset. Quærebat itaque viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum Deo, nec inuenit, donec amplecteretur mediatorem Dei & hominum,*

Citra Dei gratiam ad salutem assurgere nequimus.

Per res creatas, increatas intelligit.

Lib.7. Cõfess. c.17.

Lib.7.c.18

homi-

hominem Christum; qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem & dicentem:
Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita: quoniam Verbum caro factum est, vt infantiæ nostræ lactesceret sapientia Dei, per quam creata sunt omnia. Non enim tenebat Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *humilis humilem, nec cuius rei magistra esset eius infirmitas nouerat:* profundissimæ scilicet humilitatis; *ne homines fiduciâ sui progrederentur longiùs, sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam diuinitatem, ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur*

Incarnationis mysterium.

Lib. 7. c. 19. *in eam: illa autem surgens leuaret eos. Vnde quid sacramenti haberet (Verbum caro factum est) nec suspicari quidem poterat.* Quâ de re cùm inter eos quæreretur, excuterentque quemadmodum deberet intelligi; dixit Alipius semet opinari, Deum quidem mortalem carnem assumpsisse, sic tamen vt animam rationis participem nequaquam haberet; quem tamen errorem Apollinaristarum simul vt intellexit, saniorem Ecclesiæ sententiam firmiter tenuit. Sed ipse Augustinus aliquantò seriùs, verum huius mysterij sensum, ex discretione Catholicæ veritatis à Photini falsitate, est assecutus. Dum enim Ecclesia Romana sectariorum errores damnat, apertè declarat, quid ipsa creden-

credendum ſentiat, quidque ſanæ doctrinæ aduerſetur.

CAPVT XXVII.

Manichæiſmus corruit, illuſtratione mentis diuinitus factâ.

CETERVM *dum lectione Platonicorum librorum abſtractus incorpoream quærit veritatem, inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexit; & repulſus ſenſit, quid per tenebras animæ ſuæ contemplari non ſineretur. Certus interim, Deum infinitum eſſe, qui ſemper idem eſſet, ex nullâ parte, nulloq; motu aliter atque aliter.* Cuius poſtremæ partis firmo aſſenſu, primaria Manichæiſmi baſis (quæ lib. 33. contra Fauſtum colligitur eſſe ignoratio ſubſtantiæ incommutabilis) diſſoluta eſt, & Orthodoxi ſenſus remora dimota. Conuerſionis enim ſuæ ad fidem Catholicam exordium docet fuiſſe diuinam illam inſpirationem, de quâ paulò antè meminimus, animo ſuo talem in modum ſemet inſinuantem: *Ego ſum, qui ſum,* eſſentialiter & incommutabiliter, atque eo ſecretiore oraculo ſic omnem dubitationis caliginem amotam fuiſſe, vt iam non ampliùs *certior de Deo, ſed ſtabilior in eo eſſe vellet.*

Manichæiſmi baſis collapſa.

Diſput. 1. cũ Fortun.

Lib. 8. Cõfeſſ. cap. 1. & 12.

CA-

CAPVT XXVIII.

Lectione Epistolarum D. Pauli confirmatur in fide.

Lib. 7. Cõfeſſ. cap. 21

HVNC in finem auidiſſimè Libros ſacros, ac præ reliquis Paulinas epiſtolas, peruoluit. *Et perierunt illæ quæſtiones, in quibus aliquando ei viſus eſt aduerſari ſibi, & non congruere teſtimonijs Legis & Prophetarum textus ſermonum eius. Et apparuit ei vna facies*, viſuſque fuit vniformis contextus *eloquiorum caſtorum*; *& exultare cum tremore didicit*. Et quidquid in illâ Platonicorum doctrinâ verum legerat, id totum, Dei benignitate, in Paulinis Epiſtolis reperit; quæ ab hiſce caducis rebus fortiter eum auocabant, demulcebantque legentis animum cæleſti quadã dulcedine, quæ non rarò ſolet è vitiorum cœno erutos diuinitus afficere, quò ad hoc velut ſucco lacteo prouocati, ſolidis demum cibis acquieſcãt.

Facies ſacra Scripturæ vniformis.

Recèns conuerſis velut lacte opus.

CAPVT XXIX.

Obfirmato animo fidem Catholicam amplectitur; Baptiſmum tamen differt, quia nutat circa vitæ ſtatum, ſæcularémne an Religioſum ſequatur.

POST diligentem quæſtionem, variam collationem, ac frequentes errorum circui-

circuitus; ad extremum obfirmato animo Catholicam veritatem est amplexus: vtpote per lucem illam diuinam ac incommutabilem, quam in mentis raptu fuerat contemplatus, perque cælestis gratiæ subsidia, quibus illuminato mentis oculo, melioris vitæ remoras omnes abiecit. Quamobrem gratitudinis ergô ad Deum versus; *Perfundantur*, ait, *ossa mea Deus meus dilectione tuâ, & dicant, Domine quis similis tibi*, talis ac tantæ beneficentiæ comparatione? *Dirupisti vincula mea, sacrificem tibi hostiam laudis.* Quemadmodum autem ijs tunc ipsum vinculis expedierit, atque perpetuæ damnationis labyrintho eduxerit, perlubenter velut in totius orbis terrarum amplissimo theatro spectandus ab omnibus confitetur, vt omnes Christianę pietatis amatores, cùm hæc referri audiunt, diuinum numen vnà cum eo deprædicent. Inhæserat iam profundiùs animo eius sermo diuinus, & circumuallabatur beneficiorum eius, supernæ præsertim lucis, affluentiâ, quâ cunctæ tum penitus abstersæ sunt dubitationum nebulę circa Religionis Orthodoxę sententiam; quamuis non circa viuendi in eâ rationem, cœnobiticam videlicet aut sæcularem, delectus ab eo factus esset. Nam eatenus fluctuabatur animo, nutabantque eius

Lib. 8. Cõfess. cap. 1.

Conuersionis Augustini series.

Lib. 8 Cõfess. cap. 1.

Baptismi remora, vitæ seu status electio. Lib.8 c.6.

eius variè consilia, nec quid omnino arriperet, satis dispiciebat. Ac propterea quotidie crebris suspirijs frequentabat Ecclesiam, quantum tamen à sæculariũ vacabat seruitute negotiorũ. Quamquam enim de veritate iam omnino certus esset, adeò vt de Religione sincerâ nullatenus dubitaret; in coniugij tamen ac cœlibatus velut biuio dubius consistebat: rationem interim commodiùs Deo seruiendi, & certiùs ad salutem pertingendi seriò inuestigabat, maximè cum aduerteret, in viâ Dei aliter atque aliter homines ambulare: ac nonnullos quidem matrimonio velut sarcinâ impeditos lentiùs pergere, nonnullos verò propter cœlibatum velut onere liberos, expeditiùs contendere; ceterùm alios æternis ijsque cælestibus rebus præcipuè vacare; alios autem Christiano nomine parùm dignos, caducis hisce rebus affixos, occupari Principum captandis fauoribus, atque adeò nidorem aularum sectari. *Placebat quidem via, Redemptor ipse, sed ire per eius angustias* (quę sunt Euangelicę perfectionis consilia) *adhuc pigebat*; ad quas tamen cùm à Deo blandiusculè inuitaretur, semisauciam huc illucque voluntatem inflectebat, nunc eò conuersus idemtidem, nunc auersus. Afficiebatur enim non parum Religiosæ perfectio-

Supr. lib.8. Confess. *Varij in Ecclesiâ hominum status.*

Via placet, sed eius angustiæ displicent.

Lib.8. Cõfess. cap. 1.

fectionis *margarita quam inuenerat excellentiâ, sed eam venditis omnibus quæ habebat, emere adhuc dubitabat.* Inter hæc *displicebat ei quidquid agebat in sæculo,* fiebatque onerosum valdè; quòd iam expeditior esset ab hisce vinculis, quibus alligari solebat libenter potiùs quàm inuitè. Nec enim iam cupiditatibus, vt priùs, inflammabatur ad tolerandam illam seruitutem vitæ sæcularis grauem atque permolestam. Non ampliùs eum illa delectabant *præ dulcedine Dei, & decore domus eius,* quam amore longè maiori prosequebatur. Verùm id temporis coniugia non parum eum sollicitabant, atque à vouendæ castitatis proposito detrahebant; maximè cùm nec Christus ipse, nec Apostolus id fieri prohiberet, qui dumtaxat exhortatur ad id quod est præstabilius, factuque gloriosius: vtpote desiderans ceteros homines exemplo sui cœlibem vitam amplecti, eâq mansionem in illâ supremâ felicitate digniorem consequi; quam tamen Augustinus velut infirmior, relinquebat se perfectioribus, humiliorem locum impetrasse contentus. Atque ita hactenus placebat illi Catholica Religio, tametsi voluntas noua, quâ cœperat affici, vt Deum gratis coleret, eoque frui vellet, nondum esset idonea ad superandum

Seruitus vitæ sæcularis molesta.

priorem inueteratam voluntatem.

Lucta spiritus & carnis.

Diuersa penitus desideria; nouum alterum, alterum vetus; hoc corporis, istud spiritus inter se confligebant: nec immeritò (fatetur) *cùm peccantem iusta pœna sequatur*. Et subdit: *Non erat iam vlla excusatio, quâ videri mihi solebam, propterea nondum me contempto sæculo seruire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis, iam enim & ipsa certa erat. Ego autem adhuc terrâ obligatus, militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcinâ sæculi (velut homo assolet) dulciter premebar; & cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur: certus enim, esse melius tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere, nihilominùs hærebam. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat.*

Lib. 8. Cōfess. cap. 5.

Nulla nunc ampliùs mundum deserendi Augustino excusatio.

In vitæ delectu, tardè animi similitudo pulcra.

Capvt xxx.

Augustinus B. Simplicianum de vitæ statu consulturus adit.

Lib. 8. Cōfess. cap. 2.

In hunc modum cum animo luctatus, ad Præsulem adijt Ambrosium; qui pro temporis angustijs eum benè sperare iubens, ad Simplicianum remisit, quem & ipse-

ipſemet Ambroſius, & deinceps Auguſtinus velut alterum parentem dilexit, gratiæ cæleſti meliùs impetrandæ diuinitus oblatum. Erat enim Simplicianus eximiæ ſanctitatis opinione latè celeber; quodque à teneris ſtudioſiſſimè Deo ſeruierat, ætate iam deuexâ poterat idem per diuinarum rerum experientiam huiuſmodi tironibus optimum vitæ modum præſcribere. Huic igitur arcana cordis, æſtumque ſuum aperiens, circa vitæ genus, ſalubre conſilium exquiſiuit: ac vitam quidem cœlibem placere ſibi dixit, vtpote verè cæleſtem, ceterùm vereri ne forſan eamdem vitam maiore quàm pro ſe affectu conſectaretur: addidit, multa præclarè de Deo ſibi lecta fuiſſe in Platonis libris, quos Victorinus Romanæ vrbis excellentiſſimus Rhetor Latinitate donauerat. Contrà Simplicianus congratulatus ei quòd in hoſce libros potiſſimùm incidiſſet, qui ad veritatem ceteris magis accedunt, perſuaſit (ſicut erat ipſe per monaſticam vitam Deo ſacer) vt ſimile vitæ genus arriperet: vtpote quo perfectionis Euangelicæ ſumma continetur, illæque ſuauiſſimæ mentis deliciæ percipiuntur, quas iſti ſæcularis vitæ cultores ne primoribus quidem labris deguſtant. Margaritam (ſubdidit) pretioſam te reperiſſe exiſtima, *Euangelicæ perfectionis encomium.*

tantùm emptione eſt opus. Theſauros incredibiles propoſitos tibi puta; tantummodò voluptates corporis fluxas, minimeque ſolidas deuita; caſtimoniæ ſemitam ini, & eos ſequere qui omnium ſapientiſſimi hoc vitæ genus delegêre, & propter Dei regnum ſeſe ab hiſce delectationibus abſtinuêre: hos fuiſſe Apoſtolos ipſos conſtat, quique Apoſtolos imitando monaſticam vitam ab ipſis ſunt amplexi. Quâ de re B. Bernardus breuiter quidem ac copiosè ſcribens, *Quænam*, ait, *eſt hæc tam pretioſa margarita, pro quâ vniuerſa dare debemus, id eſt, noſmetipſos, quia totum dedit, qui ſeipſum obtulit, vt poſſimus eam habere? Nonne hæc eſt Religio ſancta, pura, & immaculata, in quâ homo viuit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, moritur confidentiùs, & præmiatur copioſiùs*. Huic igitur viuendi inſtituto, vt terrenarum facultatum ſpe contemptâ, ſeſe dedat, omnino Auguſtinum Simplicianus exhortatur; illam nimirum ad perennem vitam, breuem, facilem, ac ſecuram viam eſſe conteſtans.

In Euangeliũ, *Simile eſt Regnũ calorũ homini quærenti bonas margaritas.*

CA-

CAPVT XXXI.

Auguſtinus Victorini exemplo incaleſcit, ferreâ tamen voluntate retardatur.

QVAM vt vitam monaſticam animo promptiore ſequeretur, ex dictis eius Simplicianus occaſionem arripiens, Victorini illuſtris viri referendum exemplum eſſe conſultò putauit; qui liberalium omnium doctrinarum ſcientiſſimus, cùm viros illuſtres non paucos Romæ docuiſſet, eſſetque artis ſuæ inſigne, (quod eximium honoris indicium eſt apud eos quibus hæc terrena ſapiunt) ſtatuam in foro conſecutus ab ethnica ſuperſtitione, vir ætate iam inclinatâ, Religioni Catholicæ nomen dedit, præoptans in ſcholà Chriſti audire diſcipulus, quàm in orbis Gymnaſio, cui tot annos præfuerat, dicendi magiſter. Conuerſionis ei dederunt initium Chriſtianę literæ, quas cùm ſtudioſiùs perſcrutaretur, dicebat quandoque Simpliciano familiariùs: *Noueris me eſſe Chriſtianum*: quod cùm ille credere nollet, niſi eum in Chriſti Eccleſiâ videret; Victorinus apud eum cum riſu, quòd parietes non facerent Chriſtianum, ſæpè ſæpiùs, at clanculùm, repetebat. *Amicos enim ſuos*, ait Auguſtinus, *verebatur offendere, ſuperbos dæmonicolas, quorum ex cul-* Lib. 8. Cō-feſſ. cap. 2.

mine Babylonicæ dignitatis, quasi ex cedris Libani, quas nondum contriuerat Dominus, grauiter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Sed posteà timens negari à Christo coram Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, depuduit vanitati, & erubuit veritati, subitoq́; & inopinatus ait Simpliciano: Eamus in Ecclesiã, Christianus volo fieri. Et ille vix præsens sibi præ gaudio, perrexit vnà cum eo, vt Christo nomen in Baptismate dantem videret. Vt autem tempus aduenit profitendæ fidei, (quæ Romæ cõceptis verbis coram populi multitudine, de loco templi superiore fieri solebat) animo vehementer alacri, reiectoque pudore inutili, honestissimum crucis opprobrium veneranter est amplexus, *tabescente peccatore, mirante Româ, gaudente Ecclesiâ*; *quin & Deo & Angelis collatantibus, quibus gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*: eoque magis quò desperatiore priùs loco fuerat Victorinus, *cuius pectus, tamquam inexpugnabile receptaculum, diabolus obtinuerat.*

Intrepidè Fides profitenda. Matth. 10.

Gaudium de Victorini Baptismo Luc. 15.

Inflammatus est Augustinus ad imitandum, hac Simpliciani narratione; qui & legem ei recitauit Iuliani Imperatoris impijssimi, quâ professionem literariam (quæ conseruandæ in pueris Catholicæ fidei

commo-

commodissima ratio est) Christianis interdixit, ac reipsâ complures exauctorauit; qui huic potiùs momentaneo lucello, ceterisque facultatibus suis, quàm in Christum fidei amorique renuntiare decreuerunt. Quos inter etiam hic, de quo iam diximus, Victorinus fuit, *qui non fortior quàm felicior Augustino visus est* occasionis ergô, quam reperit vacandi meliùs Deo. *Cui rei iamtum ipse suspirabat, ligatus non ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate. Velle*, de se fatetur, *meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersâ facta est libido; & dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me obstrictum dura seruitus*, arbitrij quidem libertatem non auferens, sed magnopere in consuetum inclinans malum. Quâ tamen captiuitate, & arctissimo desiderati coniugij vinculo, tum etiam sæcularium negotiorum seruitute, per Dei benignitatem non ita multo pòst liberatus fuit.

Facultatum potiùs quàm pietatis iactura facieda.

Lib. 8. Cōfess. cap. 5.

Ferrea voluntatis catena.

E 4 CA-

CAPVT XXXII.

Ardentiores ad religiosum cœlibatum faces Augustino Potitianus subijcit, exemplo duorum aulicorum monasticam vitam amplectentium.

Lib. 8 Cõfess. cap. 6.

EIDEM autem per hoc exemplum incalescenti, subiecit etiam ardentiores faces Potitianus quidam, popularis eius, qui sub Cæsare stipendia faciebat, eratque in Deum pietate maximâ, ac idem frequens in templo prolixiùs Deum orabat. Accesserat autem Augustinum familiariter vt solebat, & in tabulâ lusoriâ codicem repertum aperiens, Paulinas epistolas esse deprehendit: quamobrem renidente vultu ac gratulabundo ad eum conuersus, (præsertim quòd Augustinus se fateretur SS. librorum lectione iam teneri) sermonem longiorem est exorsus. Dumque, vt fit, ex vno in aliud sermocinando deueniunt, incidit mentio D. Antonij, magni illius Archimandritæ, qui templum ingressus, cùm hoc cõsilium Euangelicum recitari audijsset, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; id sibi nominatim à Deo dici arbitratus, mundo quantocyùs nuntium remisit, inque eremum secedens, cælestem ibi vitam, sine coniuge, liberis,

Vtilissima vitæ Sanctorũ lectio.

ris,

ris, vlliúſve rei terrenæ ſtudio tranſegit. Huius quidem opinio ſanctitatis longe lateque orbem famâ fuerat peruagata, verumtamen Auguſtinum & Alipium etiamtum latebat. Deinde peruentum eſt ad felices eorum hominum cœtus, qui procul ab vrbium ſtrepitu luxuque, deſertis in locis optandâ ſecuritate Deo famulantur, de quibus ijdem nihil norant: ſicuti nec de monaſterio quod Mediolani extra vrbis mœnia, Ambroſio nutritore, religioſis verè boniſque ſodalibus abundabat. Subiecit his Potitianus, quodam tempore pomeridiano, dum Imperator Circenſium ludorum ſpectaculo teneretur, ſe cum tribus contubernalibus ſuis extra oppidum Treuiros, ambulandi cauſſâ progreſſum fuiſſe: duos autem ex iſtis ad caſam quamdam deueniſſe, quam aliqui Monachi inhabitabant; ibique duorum alterum, cùm in volumine fortè oblato S. Antonij vitam legere cœpiſſet, inter legendum magnâ fuiſſe admiratione permotum, atque velut aculeis in animo relictis, eiuſdem ſancti hominis exemplo decreuiſſe talem vitam inſtituere, & reiecto militari cingulo, ſolùm Deo vacare: eumdemque adhæc ſuffuſum pudore, miſtâ iracundiâ, confeſtim ad commilitonem exclamaſſe: Dic, amabò, labori-

Supr. lib. 8. cap. 6.

Exemplo D. Antonij duo Palatini ſæculo renuntiant.

Aulicorum vanitas.

bus tantis, quibus nos ipsi conficimus, quò tandem peruenire contendimus? *Quid quærimus? quid sectamur? cuius rei caussâ militamus? ánne quid amplius connitentibus nobis accidere poterit* in palatio, quàm vt mortalis vnius Principis amicitiâ digni putemur? Quid porrò in hac tantâ vitæ licentiâ non plenum periculis? & quot per pericula ad periculum maius peruenitur?

Omnia vita huius bona momentanea.

Quàm verè hæc omnia æui breuis, ac velut momentanea, quæ censemus bona? mihi sanè iam inpræsens, si ita voluerim, amico Dei esse licet; eiusce inquam Imperatoris summi, penes quem cæli terræque imperium. Abundè itidem honores suppetent, ceteraque verè bona, non ad æui breuis spatium, sed per omnem æternitatem constitura. Atque eiusmodi verba præfatus,

Perillustre ad Dei militiam trãseuntis exemplum.

dum lectionem cœptam prosequitur, *turgidus parturitione nouæ vitæ, mutabatur intus, & exuebatur mundo mens eius.* Nec mora, sæcularibus ineptijs (quid enim potiùs

Mundi voluptates, ineptiæ.

vocem præsentis vitæ voluptates, quarum amatores neque locum satis considerant, vtpote instabilem; neque tempus, vtpote breue; neque res, vtpote caducas; denique nec se ipsos, vtpote mortales) sæcularibus inquam ineptijs nuntium remittere omnino statuit: moxque *repletus amore sancto,*

& so-

& sobrio pudore, sibi iratus, & ad collegam versus, Ego, inquit, molestissimâ sæculi seruitute liber, vni Deo posthac seruire decreui, neque moram interpono, iam statim, iam nunc *ex horâ hac* fixum est ac ratum animo meo, *hoc* ipso *in loco* nouum vitæ genus aggredi: tibi si graue est imitari, noli saltem aduersari. Accensus ille vicissim, respondit, *adhærere se socio tantæ mercedis, tantæq; militiæ*. Itaque ex tempore resignato Imperatori Palatinæ militiæ cingulo, *cor cælo affigentes, militiæ longè præstantiori nomen dedêre*, quoque erant loco conuersi, vnanimes permansêre. Quin etiam (quod admirationem augeat) vtriusque sponsæ, re intellectâ, & ipsæ virginitatem suam Deo consecrarunt.

Hæc res Augustino, velut ardentes stimulos ad imitandum subiecit. Est enim vis admirabilis exemplorum, magisque, vt ait Philosophus, mouent facta quàm verba: atque Lib. 10. Ethic. *Exemplorũ vis occasione duarum sponsarum.*

Segniùs irritāt animum demissa per aures,
Quā quæ sunt oculis subiecta fidelibus,--- Horat.

cùm hæc ipsa aliquo modo vim cogendi in se continere videantur. Testatur id D. Hieronymus lib. De viris illustribus, vbi scribit D. Marcum Alexandriæ Christum annuntiasse, & constituisse Ecclesiam tantâ

doctrinâ, & vitæ continentiâ; vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Idipsum vsu venit Augustino, quem hæc D. Antonij & Potitiani sociorum historia magis atque magis confirmauit, spernereque mundum iussit; clarè videntem ex hac Simpliciani narratione, quantopere communi viuendi modo religiosa vita præstaret. Exarsit igitur vehementer, vt dictum est, talium virorum exemplis, plurimumq; ex hac Potitiani narratione promouit: at non eousque, vt semetipsum primo congressu vinceret, grauibusque animi perturbationibus, quibus erat obnoxius, exueret. Approbabat siquidem collaudabatque deliberatam eorum huiuscemodi volũtatem, seque talibus viris comparatum, & adhuc nutantem vtrimque atq; vacillantem, grauiter oderat. *A multis* (queritur) *annis excitatus eram studio sapientiæ, & differebam, contemptâ felicitate terrenâ, ad eam inuestigandam vacare, cuius non inuentio, sed vel sola inquisitio præponenda erat inuentis thesauris regnisq́; gentium, & ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus. At ego adolescens, miser valdè, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam à te petieram castitatem, & dixeram: Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modò. Timebam enim ne*

Lib. 8 Cõfes. cap. 7.

Inæstimabile sapientiæ & religionis pretium.

me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quem malebam expleri quàm extingui: & putabam me propterea differre de die in diem, contemptâ spe sæculi, te solum sequi, quia non mihi apparebat certum aliquid, quò dirigerem cursum meum. Et venerat dies, quo nudarer mihi, & increparet me conscientia mea. Vbi es lingua? nempe tu dicebas propter incertum verum, nolle te abiicere sarcinam vanitatis. Ecce iam certum est, & illa te adhuc premit; humerisq́; liberioribus pennas recipiunt, qui neque ita inquirendo attriti sunt, nec decennio & ampliùs ista meditati. Hunc in modum pudore iniecto, lancinabat eum ac cruciabat animus sibi discors, & semiuolens feminolensque conscientia diuexabat.

Serius mādum se contempsisse queritur.

CAPVT XXXIII.

Potitiani narratione supra modum commotus, in hortum secedit, grauiter conuersionis suæ moras accusans.

ABEVNTE domum Potitiano, & certantibus hinc inde affectibus, Augustinus tam mente quàm vultu turbidus Alipium interpellat: *Quid patimur? Quid est hoc? Quid audiuisti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris, sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine?*

Lib. 8. Cōfess. cap. 8.

guine? An quia praecesserunt, pudet sequi, & non pudet nec saltem sequi? Quibus dictis, vehementi cordis æstu in hortum ædibus vicinum abreptus, *insaniebat salubriter, & moriebatur vitaliter*, *gnarus quid mali* ipse *esset, & ignarus quid boni post paululum futurus esset.* Grauiter autem semetipsum accusans infremuit, quòd iniret tardiùs pactum istud cum Deo, quod ineundum esse *omnia ossa eius clamabant, eíque displicebat quòd faciliùs obtemperabat corpus tenuissimæ voluntati animæ, vt ad nutum membra mouerentur, quàm ipsa sibi anima ad voluptatem suam magnam, in solâ voluntate perficiendam.* Quâ de re latiùs secum disputans, inquirensque penitus, cur animus ad bonum ita tardus, vt etiam licet imperet sibi, resistat; cùm tamen oculi, manus, aliáve membra, tantâ promptitudine animo seruiant, vt vix à seruitio discernatur imperium, tametsi animus sit animus, manus autem sit corpus; concludit, hanc omnem caussam in ægritudinem animi reiiciendam esse, qui non ex toto vult, *adeoq; nec ex toto imperat, nec totus assurgit, veritate subleuatus, consuetudine prægrauatus. Ita cùm æternitas delectat superiùs, & temporalis boni voluptas retentat inferiùs, eadem anima est, non totâ voluntate illud aut hoc volens,*

In horto moritur vitaliter.

Cur tantâ promptitudine corpus animo, non autem animus sibi pareat?

Lib. 8. Cōfess. cap. 9.

Imperfectū voluntatis imperium, bonum remoratur.

volens, & ideò discerpitur graui molestiâ, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit.

CAPVT XXXIV.

Grauissima carnis & spiritus lucta in Augustino sub ipsum decreti punctum. Pudicitiæ & voluptatis de eodem certamen.

HVIVSMODI tum carnis tum spiritus luctâ exercebatur in horto Augustinus, *& misericordi timoris & pudoris flagello* diuinitus ad conuersionem impellebatur, vt tantillum vinculum sine morâ totum abrumperet, quo adhuc exiguo tenebatur. *Dicebam*, ait, *apud me intus: Ecce modò fiat, modò fiat*, (omnimodum scilicet ac irrefragabile talis vitæ propositum, nec Christianæ religionis tantùm, sed & Religiosæ castitatis fiat à me decretum immutabile) *& cum verbo iam ibam in placitum, iam penè faciebam, & non faciebam: nec relabebar in pristina, sed de proximo stabam & respiciebam; & item conabar, & paulò minùs iam iámque attingebam, & tenebam: & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusq; in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum; punctúmque ipsum temporis quo aliud futurus eram, quanto propiùs admoue-*

Ægerrimè omnimodã castitatem seruare proponit.

Lib. 8. Cõfess. c. 11.

Hæsitat mori morti, & vitæ viuere.

mouebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: sed non repercutiebat retrò, nec auertebat, sed suspendebat. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum; nimirum antiquæ voluptatis illecebræ, quæ (vt solet illis vsu venire, qui de mundo abituriunt ad monasteria) in mente idemtidem obuersantes submurmurabant: *Dimittísne nos Augustine*, absoluto penitus ac decreto castimoniæ voto? *& à momento isto* huius irreuocabilis sententiæ *non erimus tecum in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc & illud vltrà in æternum.* Subiicit Augustinus: *Quæ suggerebant, in eo quod dixi, hoc & illud, quæ suggerebant, Deus meus, auertat ab animâ serui tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant? quæ dedecora & malorum incentiua?* Verumtamen non vt priùs grauiter sæuiebant, sed abire meditantem, quasi vellicabant molliùs, & leuiter incusabant Augustinum, quòd eas desereret, quibuscum tanto tempore iucundissimè vixisset. Inter quæ obstrepens praua consuetudo, *Putásne, dicebat, sine illis poteris?* An existimas te viam castitatis, quam inituris, posse conficere? ea verò inamœna est, vepribusque ac sentibus horrenda. An non inaudisti multos pedem retulisse, consideratis huiusce viæ asperitati-

A sanctioris vita proposito Augustini deterrere conantur voluptates, nugæ nugarum.

Interstrepens cosuetudo castimoniæ viã difficilem obiicit.

ritatibus? quin tu genium, vt priùs, ſequeris, ſuauiſſimiſque ſenſibus affici mauis, dum per ætatis florem licet? *Sed iam tepidiſſimè hoc dicebat*: ſtabat enim aduerſâ parte, quâ Auguſtinus faciem intenderat, virgineo renitens vultu, *caſta dignitas Continentiæ, ſerena, & non diſſoluè hilaris, honeſtè blandiens, vt veniret, neque dubitaret: & extendens ad ipſum amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum, Ibi*, ait, *tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, graues viduæ, virgines, & anus* (complures enim vtriuſque ſexus, adhuc ætate floridâ, nec vulgares ij tantùm, verùm regio ſanguine clari, ſe voto religioſæ caſtitatis obſtrinxerunt) *& in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis, ſed fecunda mater filiorum gaudiorũ de marito ipſo Deo. Et irridebat eum irriſione exhortatoriâ, quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te ſtas, & non ſtas? Proiice te in eum, noli metuere; non ſe ſubtrahet vt cadas, excipiet te, & ſanabit te.* Pudebat eum grauiter harum nugarum, moleſtæque erant valdè, quas ſæpe ſæpiùs à ſe reiiciebat; quòd oblectamenta quidem pollicitarentur illæ, *ſed non vt lex Dei*, ſinceras

Libido & Continẽtia de Auguſtino certant.

Vtriuſque ſexus, etiã nobiliſſimi quique, religioſam caſtitatem ſunt amplexi.

Pſal. 118.

ceras ingenuasque voluptates propinarent: quin potiùs amaras atque mortiferas, sub quibus æternæ mortis esca delitescit. Quæ quidem falsæ voluptatulæ cum veris illis animi deliciis vnà collatæ vilescunt ocyùs, & incredibiliter homini minimè animali sordent; est enim reuerà

Claudian. *Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper*
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraq́ Circæis effeminat acriùs herbis:
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior vlla
Interiùs, fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris, toruos auro circumligat hydros,
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

Vnà quoque considerabat difficultatem, quæ in cœlibatus aditu semet offerebat, grauem quidem initio videri, prę sertim homini voluptatibus assueto; verùm ope diuinâ (quæ hominibus bonæ voluntatis est præsens) atque etiam assiduâ consuetudine leuiorem indies fieri atque suauiorem: cùm è diuerso, quantumuis suaues mundi deliciæ, siue habeantur, siue deserantur, nequaquam felle suo careant. Quam inter veras falsasq; voluptates differentiam, quia non satis obseruant ij qui de vitæ statu deliberant, fit vt sæpenumerò ad mollem

cor-

corporique iucundam consuetudinem relabantur. *Ceterùm* (prosequitur) *ista controuersia in corde meo, non nisi de meipso aduersus meipsum. At Alipius affixus lateri meo, inusitati motus mei, quem frons potiùs, genæ, oculi, color, modus vocis, quàm verba loquebantur, exitum tacitus opperiebatur. Vbi verò à fundo arcano alta consideratio contraxit & congessit totam miseriam meam in conspectu cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum.* Lib.8.c.11

CAPVT XXXV.

Sub ficum secedens, vehementissimè conteritur.

QVEMADMODVM verò lugentibus flentibusque solitudo videtur aptior, relicto in anteriore horti parte Alipio, ad interiora sub ficum quamdam secessit: vbi dolori, lacrymis atque suspiriis tam effusè habenas indulsit, vt intuentis vel saxeum pectus ad commiserationem ciere potuisset. Lib.8.Cōfess.cap.12

Verioribus laudibus maioribusque viri docti ficum hanc efferunt, sub quâ Romanæ columen Ecclesiæ, Religiosorumque hominum institutor Augustinus procubuit; quàm Ruminalem illam arborem, sub quâ Romulum & Remum iacuisse paruulos effinxit antiquitas. Congerunt au-

Cur ſub ficu potiùs, quàm ſub quauis aliâ arbore, fiat Auguſtini conuerſio.

tem varij varias rationes, cur ſub ficu potiùs admirabilis hæc eius conuerſio extiterit, quàm ſub aliâ quauis arbore. Ac eorum aliqui ratiocinantur, diuinitus Auguſtino ſignificatum eſſe: Plus æquo ſcire voluiſti, perſuaſitque tibi ſerpens idem, qui primis parentibus impoſuit, te vnius tui ingenij viribus, quemadmodum Deum ipſum, abundè poſſe ſapere: verùm in mentem veniſſe debuerat eiuſce arbôris vetitæ (ficum quidam autumant fuiſſe) ſub quâ eamdem ſcientiam nimis inſipienter Adam & Eua concupiêre. Alij ſentiunt voluiſſe Deum Auguſtino in mentem reuocare execrationem illius ficus, quam Chriſtus reperit ſolis ornatam foliis citra fructum, ideoque ignibus adiudicatam: amat enim Deus ſolidos fructus pietatis, & non inania folia verborum. Quamobrem ſcribit Auguſtinus columbam attuliſſe ramum in arcam non virentibus tantùm foliis, ſed etiam fructu præditum: quoniam Eccleſia Dei non admittit fidem ſolam, velut nuda folia; ſed eamdem bonis operibus, ceu fructibus cumulatam exquirit. Igitur in hunc modum videbatur Auguſtino Deus velle dicere: Iam anni fluxêre complures, cùm ex te, prout ex illâ ficu Euangelicâ, fructum aliquem virtutis expecto: videoque quòd

Væ arbori, foliis non fructibus ornata.

ſtatuto

ſtatuto à me tempore proferas, non quidem fructus aliquos, ſed mera loquentiæ verba inania; totuſque errorum, velut ramorum, flexibus ſophiſticis vndique impediare: non deinceps patienter feram. At tu vide ſeriò, ne quemadmodum illa ficus, experiaris in te meæ execrationis iuſtiſſimas pœnas: vide etiam, ne vt arbor arida, perpetuis ignibus addicâre. Huic occultæ monitioni non ſegniter obediens Auguſtinus, vberrimas lacrymas effudit, iiſque deſideratam à Domino fecunditatem ſe fruſtrari nolle monſtrauit. Ac quemadmodum, Iſidoro inter ceteros teſte, ſub ficu laſciuia tauro demitur; ſic Auguſtino deceſſit libidinis affectus ex vnius arboris ſalutiferæ, Dominicæ nempe Crucis, virtute occultâ, quæ vel maxime voluptatis pruritum valet extinguere, caloremque omnem noxium rore lacrymarum ſuauiſſimo temperare. Ea res in S. Auguſtino apparuit, quando cæleſtis gratiæ imbre perfuſus, ſub eadem arbore, contriti ſpiritus oblaturus Deo acceptiſſimum ſacrificium, ita mente in eum ſublatâ exclamauit: *Et tu Domine vſquequò iraſcêris in finem?* quouſque iacêre perditum ſines? quouſque in hoc vitiorum cœno verſabor? quouſquê extendet ſe tanta miſeria? *Quamdiu, quamdiu, cras*

Lib. 7. Orig. cap. 6.

Auguſtino deceſſit libidinis affectus.

Lib. 8. Cōfeſſ. cap. 12

Contriti cordis ſuſpiria.

& cras? Quare non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Grauiter equidem offendiſſe me Numen tuum confiteor: ſed nunc tantorum ſcelerum me pœnitet, pudet, pigetq́ue. O qui potes, & ſoles, miſerere: & quid facto ſit opus, ſignifica.

CAPVT XXXVI.

Voce cælitus ad eum perlatâ, codicem Apoſtolicum legit.

HANC in ſententiam cùm plura dixiſſet, ac lacrymis effusè currentibus *amariſſimâ cordis contritione* repleretur; ecce vox quædam ad eum è domo vicinâ, tamquam cantantis pueri aut puellę, ſępiùs ingeminantis: *Tolle, lege; tolle, lege: ſtatimq́; mutato vultu intentiſſimus cogitare cœpit, num pueri in aliquo genere ludendi, cantare aliquid tale ſolerent; ſed nihil eiuſmodi occurrit.* Neque enim pueri puellæq́ue, vel alicuius hominis cantãtis hanc vocem fuiſſe putandum, ſed Angelorum in aëre cantum, qui ſignificaret aliquatenus eorum ineffabile gaudium, tanti viri ad Deum conuerſione: maximè cùm ijdem cæleſtes ſpiritus, etiam ob vnius peccatoris vulgaris pœnitentiam, in cælis gaudere dicantur. Hîc autem imitantur Angeli vocem puerilem, quia reuerà ſimiles pueris hi ſunt, qui conſi-

Tolle, lege.

Angelorũ de Auguſtini conuerſione gaudium.

consilium salutis negligunt capere, deque rebus serijs, vnde pendet æterna salus, nihil certi statuunt: vt Augustinus inpræsentiarum, quoad vitæ delectum varius, inconstans, nuncque hoc volens, nunc idem nolens. Repetitur autem bis terque vox eadem, quod propter omnimodam animæ curam, & diuinam Maiestatem, quam se offendisse perpendebat Augustinus velut absens sibi, vix vnâ vice posset cæleste nuntium animaduertere. Ideoque idemtidem auditam vocem considerans, cùm sibi diuinitus oblatam arbitraretur, codicem Apostolicum arripere proponit, lecturus eum locum, qui primùm occurreret; ac sibi quodcumque legisset applicandum, ratus. Acceperat enim, vt suprà retulimus, in hunc modum D. Antonium, recitanti cuidam eum Euangelij locum; *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis; & veni, sequere me*; fortè superuenientem, tamquam id vni sibi fuisset dictum, repentè sæculum res suas habere iussisse. Itaque concito gradu redijt ad locum vbi sedebat Alipius: ibi enim posuerat codicem Apostoli, cùm inde surrexerat. Eum arripit, aperit, & legit in silentio Capitulum, quò primum coniecti sunt oculi: istam videlicet

Hippocr. epist. ad Damagetū

In Apostolico codice quod primū occurreret, legere decernit.

Matth. 19.

 perio-

Rom. 13. periodum: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum* IESVM CHRISTVM, *& carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs.*

CAPVT XXXVII.

Augustino tria religiosæ vitæ consilia diuinitus insinuantur.

Omnes circa vitæ institutũ dubitationes Augustino euanescunt.

SVBSTITIT hîc, nec vlteriorem lectionem adhibuit: statim enim omnes illæ dubitationes ac perturbationes, quas adhuc circa vitæ institutum passus erat, velut fumi quidam confestim euanuêre, ac quasi squamæ Paulinæ subitò decidêre. Facilè namque poterat aduertere, sibi (velut & ceteris quibuslibet, sublimiorem in cælo mansionem per monasticam vitam affectantibus) Euangelicam hisce verbis perfectionem, triaque religiosæ vitæ consilia diuinitus commendari. Ac in primis paupertatem, quæ opum contemptrix est, omnemque intemperantiam auersatur, his verbis: *Honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus.* Castitatem autem quæ aduersatur turpitudini, sequentibus verbis: *Non in cubilibus & impudicitijs.* Obedientiam denique, quæ alteri cedit, atque morem in omnibus gerit; per hæc verba: *Non in con-*

in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum IESVM CHRISTVM; efficiẽdo nimirum, vt is in omni veſtrâ actione ſe prodat, perque omnem vitam eluceat: verbo enim *induendi*, Hebræi copiam ſignificare ſolent. Vnde Pſalmographus ſignificare volens, maximam fore omnium copiam, *Induti*, inquit, *ſunt arietes ouium*. Vult igitur, Chryſoſtomo interprete, nos vndique Chriſto ita circumdari, ſicut veſtimento; vt in omnibus eius voluntariam paupertatem, perpetuam caſtitatem, integram obedientiam, aliaſque virtutes heroicas exprimamus, omneſque cùm interiores tum exteriores actus noſtros in ipſum dirigamus. In quod ſtudium nulli hominum magis incumbunt, quàm Euangelicæ perfectionis profeſſores, habitibus prauis & maculoſis ſuorum affectuum, velut calceis, inſtar Moyſis, ſub interminatione mortis ęternæ, ſemet exuentes; ijdemque vi conſiliorum Euangelicorum, (quæ in præceptum ſpontaneâ vouentium electione tranſierunt) inſtituti ſui regulis ſemet attemperantes. Quibus denique ſubiungitur aptiſſimè: *Carnis prouidentiam ne feceritis in deſiderijs*, cùm eiuſce curam habere oporteat iuxta corporis indigentiam, non verò iuxta eiuſdem de peccato natam cupiditatem: quod

Quid ſit Chriſtum induere.

Pſal. 64.

Exod. 3.

Religiosi hominis munia.

hi faciunt Religiosi, quæ sursum sunt sapientes, non quæ super terram. Iidem corporis illicita desideria circumcidunt, sensuum ad mala pronos impetus refrænant, honorum onera dignitatumque molestias abijciunt; delicias & voluptates, quamuis licitas, abnegationis sui studio non admittunt: virtutibus in primis vacant, familiarique velut Dei colloquio fruuntur; indeque percipiunt ineffabilem istam dulcedinem, quam in lectione Epistolæ D. Pauli sensit Augustinus, cui

Paulinus ad Citherium.

—— in suarum literarum corpore
Paulus magister adfuit,
Amansq; puro corde lectorem sui,
De mortis abduxit manu.

Capvt xxxviii.

Augustinus monasticæ vitæ genus firmiter amplecti decernit, ei fit comes Alipius.

Itaqve his Apostoli verbis excitus Augustinus, quid sibi contigerit, Alipio narrat: qui rei miraculo perculsus, institit videre quid legisset; sententiamque deinceps persequens, consequenter legit: *Infirmum autem in fide assumite*: quod ille ad se referens, in religiosi cœlibatus proposito (quod hîc lib.8.cap.12. & suprà cap.6. placitum vocat) Augustino socius esse decreuit:

uit:

uit : ad eum ferè modum quo Potitiani contubernales in eremiticæ vitę inſtitutum conſpirarunt, vnuſque alteri ad perfectionem anteluxit. Inde ad Monicam ab exultantibus præ gaudio feſtinatum eſt; ordine res enarrata, animoque firmiter concepta ſanctioris vitæ ſententia declarata: quæ viciſſim ſuprà quàm dici poteſt, lætitiâ repleta, Deo miſericordi gratias egit, à quo receperat amplius, quàm aſſiduis precibus lacrymiſque rogauerat: vtpote quia non Catholicum dumtaxat intelligebat ipſum fore, ſed etiam *contemptâ felicitate terrenâ ſeruum Dei*, ſeu, quod idem eſt, virum religioſum: ampliùs de ſuſcepto eius propoſito religioſâ caſtitate ſeruiendi Deo, *quàm de nepotibus carnis eius* (nempe ſi matrimonium inijſſet) *gaudens. Ita enim Dominus eum ad ſe conuerterat, vt nec vxorem quæreret, nec aliquam ſpem ſæculi huius, in eâ regulâ fidei, in quâ illum ante tot annos matri eius reuelarat, conſiſtens*, per ſacræ Religionis, ſeu regularis vitæ in animo decretum votum.

Alipius in religioſi cœlibatus propoſito fit Auguſtino ſocius.

Lib. 9. Cōfeſſ. c. 10.

Religioſos vocabant olim ſeruos Dei.

CAPVT XXXIX.

Fuſius Religioſæ vitæ encomium.

IDIPSVM religioſæ vitæ propoſitum egregiè commendans, *Vbi*, ait, *tanto tempore*

Lib. 9. Cōfeſſ. cap. 1.

pore hæsit, & de quo imo altóque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo, & humeros leui sarcinæ Christi? suam hoc loquendi modo indicans conuersionem ad religiosum vitæ genus. Quod simili quoque periphrasi exprimit Epistolâ 39. ad Licentium: cuius Epistolæ sententiam huc adduximus aliquãtò prolixiùs, partim caussâ religiosi status, quem Augustinus id temporis est amplexus; partim vt rei, quam etiam doctiores nonnulli controuertunt, noua lux accederet. Fuerat ergo hic genere nobilis Licentius pridem inter Augustini discipulos: cuius cùm ingenium excellens perspectum haberet, vt Dei honor proximique salus per eum promoueretur, à licentioris vitæ genere, aulico nimirum, ad religiosius institutum est traducere conatus. Ac posteaquam asseruit Christi compedibus nihil esse iucundius, *Vincula* (sunt eiusce verba) *huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Hísne tu inseris & collum, & manus, & pedes?* (honoribus & commodis mundi inhiando) *& ambis inhærere, quò non modò inuitatus, sed nec compulsus quidem*

Leue Christi iugum, Religio.

Vinculorũ Dei & mũdi antithesis.

quidem ire debuisti? Ergóne ingenium, quod in carminibus tuis video, quódque plango, non mihi liceat apprehendere, & immolare Deo nostro? Expectas vt ego iubeam sis bonus, sis quietus, sis beatus; quasi quiddam mihi dierum gratius illucescat, quàm vt ingenio tuo fruar in Domino? Nunc mihi dic, Hoc opus, vt iubeas tātùm. Ecce iussum meum, Da mihi te, si hoc opus est tantùm; da Domino meo te, qui omnium nostrûm Dominus est, qui tibi illud donauit ingenium. Si calicem aureum inuenisses in terrâ, donares illum Ecclesiæ Dei. Accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, id ergo ei eiusq; offer Ecclesiæ. An ipse non iubet? Audi Euangelium: Clamabat, inquit, IESVS, *Venite omnes qui laboratis, & onerati estis,* &c. *si hæc non audiuntur, aut vsque ad aures audiuntur, expectásne Liceti, vt Augustinus iubeat conseruo suo, & non plangat potiùs, frustrà iubere Dominum suum, imò non iubere, sed inuitare, & rogare quodammodò, vt qui laborant reficiantur ab eo? Sed videlicet præfidenti collo iugum mundi iugo Christi est iucundius: qui si nos laborare cogeret, vide quis cogeret, quâ mercede cogeret. Vade in Campaniam, disce Paulinum egregium & sanctum Dei seruum, quàm grandem fastum sæculi huius, tanto generosiore, quanto humiliore ceruice incunctanter excussit,*

NOTA. *Ingenium, vt vocat, S. Augustinus aureũ, Deo eiusq; Ecclesiæ offerendum.*

Matth. 11.

Paulinus mundum contemnit.

ſit, vt eam ſubderet Chriſti iugo, ſicut ſubdidit: & nunc illo moderatore itineris ſui quietus exultat. Vade, diſce, quibus operibus ingenij, ſacrificia laudis ei offerat, refundens illi quidquid boni accepit ex illo, ne amittat omnia, ſi non in eo reponat, à quo hæc ſunt. Quid æſtuas? quid fluctuas? quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, & auertis à nobis? Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt. Non dicit verum, niſi veritas, quia Chriſtus eſt veritas. Veniamus ad eum, ne laboremus; iugum enim eius leue, & ſarcina eius leuis eſt. Ac ſimili modo Paulinus, ad quem ſæculi amatores Noſter hic remittit, ex nobiliſſimo & opulentiſſimo (Proconſul enim fuerat) pauper humiliſq́ue Chriſti cauſſâ factus, hortatur eumdem Licentium ad communionem verè cæleſtis illius mannæ, quod in eremi agro, inq́ue abdicationis ſui cellulâ prior ipſe inuenerat, eumq́ue ita prouocat ſequenti carmine:

Temporalia mētiuntur, moriūtur, & in mortem trahunt.

Pia ad ſæculi cōtemptum monitio.

Epiſt. 36. apud Auguſtinum.

Tollere humo, ſed nunc dum ſpiritus hos regit artus,
Mente polum penetra, nil mora carnis obeſt.
Corporeis iam nunc morere actibus, & bona vitæ
Cæleſtis liquido præmeditare animo.

Spiri-

Spiritus es, quamquam tenearis corpore, si nunc
Mente piâ victor, carnis opus perimas.
Frater Alipius est, Augustinusq; magister;
Sanguinis hic consors, hic sator ingenij.
Tanto fratre vales, & praeceptore Licenti:
Et dubitas pennis talibus astra sequi?
Quidquid agas (nam te nec mundus sperat amicum)
Nō daberis terrae, debita Christo anima.
Tu thalamos licet & celsos mediteris honores
Nunc, olim Domino restituēre tuo.
Quid retrahis fera colla iugo? mea sarcina lenis,
Suaue iugum, Christi est vox pia, crede Deo.
Et caput adde iugis, da mollibus ora capistris,
Demissosq; leui subde humeros oneri.
Nunc potes hoc, dum liber agis, dum nulla retentant
Vincula, nulla tori cura, nec altus honor.
Haec bona libertas, Christo seruire, &c.

Meritò igitur Christo hanc seruitutem ingenuam prudentissimus quisque seruiat. *Vt enim ipse nos reficiat*, inquit Augustinus, *tollamus iugum eius super nos, & discamus ab eo,*

eo, quoniam mitis est & humilis corde, & inueniemus requiem animabus nostris. Atque eminùs quidem intuentibus, religiosæ vitæ susceptio fugaque voluptatum tristis ac laboriosa videtur: verùm rem vti est considerantibus, plena suauitatis, commodi, quietisque, eadem deprehenditur. Qui enim huiusce vitæ bona consectantur, vtcumque requiem quærant, non inueniunt. Ideò Augustinus, *Non est,* clamat, *requies vbi quæritis eam: quærite quod quæritis, sed ibi non est, vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita? Et descendit huc ipsa vita, & tulit mortem nostram, & occidit eam abundantiâ vitæ suæ, & tonuit clamans vt redeamus hinc ad eum in illud secretum, vnde processit ad nos.* Cuius hortatui certatim religiosi homines acquiescunt, præuiam istius æternæ felicitatis requiem hîc inuenientes. *Pennas insuper habet hæc leuis Christi sarcina*, subleuans in cælum, & à terrâ hominem eripiens; quòd religiosum humeris onus (si modò tale sit) subeuntem copiosa suæ gratiæ auxiliique cælestis benedictione Deus preueniat. Suauiter autem equitat, quem gratia Dei portat; & securè is nauigat, quem adspirantis Numinis aura secunda propellit. Quamdiu verò sæculari-

Religiosæ vitæ susceptio boni plurimi, quietis præsertim plena.

Lib. 4 Cõfess. c. 12.

Hic non est vita, multò minùs vita beata.

Enarr. in Psal. 59.

Ven. Thomas Kemp.

laribus turbis animus exercetur, velut in æstu quodam fluctibusque medius agitatur: quibus tum periclitari desinit, cùm religionis quasi nauim benè compactam editamque conscendit: non vt hanc extra seruari omnino nequeat, verùm vt Christo consulenti optime, ipse sibi vicissim optimè consulens. Si namque per vastissimum mare inter præsentissima hostium pericula nauigandum tibi esset in extremam Indiam, cumque naues essent oblatæ non paucæ, quamquam non satis validæ; præter has esset tibi liberum ipsammet prætoriam nauim optimam instructissimamq; conscendere; ánne tam insigni occasione neglectâ, quamlibet aliam triremem quassatam & armamentis destitutam inire præeligeres? an non potiùs animo gratissimo beneficium acciperes, adeoque si spes nón esset per teipsum impetrandi, amicos in eam rem subornares? Quanto magis igitur ad euitandum animi perpetuum naufragium, in hoc adeò tempestuoso vitæ huius pelago, inter tot Scyllas & Charybdes, totque malæ spei capita, totque inter piratas hostesque virtutum, consultius est sacram Religionis nauim conscendere, quâ minimùm anxij perennis beatitudinis portum consequâre? Verùm esto, intelligatur hoc

S. Religionis & nauis comparatio.

periculo cessante, promissum alicui cælum esse; nónne tamen melius fuerit hoc ipsum omni modo curare, vt non solum æternâ felicitate fruatur, sed etiam splendidiorem in eo gloriam assequatur? Et sanè si quis alicui argenti faceret aurive copiam, haud magnopere dubitaret is, quod est præstantius, accipere: parique modo si millia centum in annos singulos alicui possent obtingere, mallet is tam ingentem cénsum, quàm millia duo vel tria dumtaxat? non solent enim homines lucra, quantumuis exigua, contemnere. Insignis hæc est censenda prudentia, pluribus consortibus in cælesti regno per virtutum monasticarum copiosam (vt sic dicam) messem antecellere, quàm parcè hîc seminando id agere, vt inibi parcè metatur. Quantocyùs ergo foret hæc excutienda segnities. Etenim per hæc Religionis sacræ quasi deserta in terram promissionis, cælum nempe, contendentibus, pro cæpis & alliis Ægyptiis cæleste manna Deus elargitur, id est, spiritales epulas, quæ, sicut vetus illud manna saporem in se habebat omnis delectamenti, sic voluptatum, quæ hîc videntur esse, dulcedinem omnem non modò superant, verùm etiam in seipsis eminenter, & simul abundantissimè continent. Quo fit, vt non aliter

Omni ratione enitẽdum, vt sublimiorẽ in cælo locũ adipiscamur.

Mira deserti Religionis deliciæ.

aliter quàm præſtantiſſimum vinum deguſtantibus, confeſtim zythum quoduis & aqua vileſcit; ita religioſis hominibus tam diuino nectare plenis, nil deinde terrenæ dulcedinis placeat, nihil vltrà deſiderent, vtque re ipsâ experiantur Dominum (iuxta illud Dauidicum) in bonis replere deſiderium eorum. Psal. 102. Cùm enim Deum ipſum habeant, inque Deo vniuerſim omnia; illam ipſam delectationem ex eo longè maiorem percipiunt, quàm ex ſingulis rebus perciperent, ſi ſingulis iis fruerentur. Vt enim qui ingentem nummum habet aureum, multorum nummûm argenteorum pretium ita poſſidet, ac ſi diſtinctè totidem argenteos haberet, atque multo commodiùs alterius monetæ pondere caret; ſic qui cum Deo per arctiorem nexum abdicationis propriæ coniunctus eſt, ipſam compendio totius boni naturam (quoad quidem in hac vitâ licet) adeoque medullam eius penitiſſimam inuenit, quæ per vniuerſum eſt diſperſa. *In Deo ſunt omnia, quæ propter amorem eius in hoc ſaeculo relinquimus.* Hoc ipſum eſt quod B. Franciſcus frequens in ore habebat, *Deus meus, & omnia.* Quâ de re ſic diuinè D. Auguſtinus: Li. 10. Cōfeſſ. cap. 6. *Quid amo cùm te amo? non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, ecce iſtis amicum oculis, non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum, non flo-*

rum & vnguentorum & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum: & tamen amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam colorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum interioris hominis mei: vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus; & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non spargit flatus; & vbi sapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quod non diuellit satietas Hoc est quod amo cùm Deum meum amo. Legimus B. Laurentium Iustinianum, cùm adhuc ætatis esset iuuenilis & lubricę, Christum Dominum vidisse specie virginis, vultu placidissimo, & eximio lucis splendore solis radios exuperante, eumque in hunc modum rogasse: Cúrnam, ô adolescens, in res istas externas dilaberis, & pacem sectando, teipsum per multa dispergis? Quod quæris, penes me est: ego, si me sponsam acceperis, pacem hanc certissimè polliceor. Ille & tantâ pulcritudine, & tam ingenti promisso illectus, rogauit quod ei nomen & genus esset. ad quem Christus: Sum Dei sapientia, quæ vt homines in pristinam dignitatem restituerem, vnde peccando exciderant, seruilem hominis formam assumpsi. Huic cùm B. Laurentius

Christus B. Laurentio Iustiniano apparet, specie pulcerrimæ virginis.

tius respondisset, libentissimè eam se accipere, ille quidem hominem exosculatus cum gaudio, vt videbatur, abscessit; iste autem non multo pòst tempore, ad oblatas nuptias spirituales sese contulit, in quibus promissam delectationẽ feneratò percepit.

CAPVT XL.

Suaue Augustino carere voluptatibus carnis.

HÆC cuncta reipsâ expertus & Noster comprobat, adeoque in ipsomet aditu religionis constitutus ait: *Quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum* (corporis videlicet & rerum externarum) *& quas amittere metus erat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas* (Domine) *à me, vera tu & summa suauitas, eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Igitur ob hanc sæcularium rerum abdicationem mente nunc decretam, *animus meus liber erat à curis ambiendi* præfecturas, *& acquirendi* possessiones caducas, *& volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum*: & mirâ dulcedine talium deliciarum affectus, *gar-* Lib. 1. Cõfess. cap. 1.

*riebam tibi(*Deo loquitur*) claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ soli*; tristiore subinde voce in conualle plorationis ingemiscens, quòd adeò tardè huiuscemodi rerum mundanarum quisquilias reliquissem. Non enim rectè, quamuis ætate iuniore, Dei vocationi parêre differtur: siquidem *bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ*, ait Propheta. Qui fructus huiusce à teneris conuersionis explicans, *Sedebit*, inquit, *solitarius & tacebit, quia leuauit super se*. Quod B. Thomas ideò dictum arbitratur, quòd ij qui ab ineunte ætate iugũ Religionis sustulerunt, seipsos longè faciliùs supra naturæ corruptæ inclinationes erigunt, eamque vitæ rationem ineunt, quæ à mundanarum rerum strepitu quàm remotissima est. In quam sententiam B. Anselmus eos qui à pueritiâ in monasteriis enutriti se Domino consecrant, Angelis comparat; qui verò in adultiori ætate, hominibus. Quod ipsum coronidis loco probari queat exemplo duorum nouitiorum (refert hoc Gerardus de Fracheto) qui religiosæ vitæ studio incensi, procul à patrio solo fuerunt eam amplexi. Verùm primo conuersionis tempore, duorum alter, cùm periculosissimo morbo conflictaretur, sociumq; Religionis suæ videret affici tædio, quòd

Quauis ætate Deo vocanti parendum.

Thren. 3.

Opusculo contra retrahent. à Religione.

Lib. De simil.

In Vitis Fratrum Prædicatorum.

quòd longè patriâ ſuperſtiti manendum eſſet; conſolari eum cœpit: atque dein ipſemet inualeſcente vi morbi, cùm ad meliorem vitã euocatus eſſet, collegæ ſuo Deum oranti, lætiſſimâ ſpecie apparuit, eximioq; quo circumfundebatur ſplendore, mœrentem ſummopere exhilarauit. Eductum verò foras ad planiciem dum ſolatur, & ad conſtantiam hortatur, ecce fulgentiſſimorum hominũ cohors ſingulari ordine magnas cruces humeris deferens, per montem in cælum conſcendebat. Nouitius in admirationem raptus, illicò in feliciſſimam illam turbam oculos coniicit, & dum eos aſpectu proſequitur, ſuccedit deinde alius cuneus beatorum, geſtantium manibus triumphales cruces, quas nullâ difficultate geſtabant. Auxit admirationem iuxtà & lætitiam hic ordo militum, priores ponè ſequentium, cælorumque celſa petentium. Sed continere præ gaudio ſeſe vix potuit, cùm tertius ordo ſucceſſit longè maior: nam ſingulis ſua crux à florentiſſimo quodam iuuene præferebatur. Cumque præcedentes turmas ſequerentur, & Angelus defunctum nouitium cum ſuâ cruce ad iungendum ſeſe aliis accerſeret; ſocius eius, Non ita, inquit, ſed priuſquam abis, rei geſtæ ſeriem, triumque glorioſorum ordinum

Valdè tutum homini in tenerâ ætate mundum ſpernere.

num triumphos explica. Beate iuuenis, Quoſcumque vidiſti, ait, tribus hiſce diſtinctos ordinibus, omnes beatorum ciuitate donatos eſſe certò ſcias. Qui primùm comparuêre inſignes crucibus, quas baiulabant humeris; ij ſunt, qui ætate prouectiori ſeſe Dei obſequio manciparunt, ideoque longas lataſque cruces, præteritarum ſcilicet conſuetudinum velut onera quædam deportare coacti ſunt. Secunda cohors eſt horum qui mediâ ętate virtutem complexi ſunt; & ij cruces geſtant manibus, vtpote portatu leuiores. Qui verò agmen clauſerunt, nec cruces nec laborem ſeſe tuliſſe inſinuant: quia in tenerâ ætate, ſpretis mundi illecebris, *perfectionis arcem* ingreſſi, Angelicè vixerunt, totumque iugi Dominici pondus, eorum Angeli ſuſtinuerunt, non ipſi. Tu quoque, ſi modò perſeueraueris, nobis adiungere, & inter beatos eris: ego verò Dei gratiâ cum illis quos vides aſcendo. His dictis, alios ſecutus eſt, Angelo ſuo duce, eiuſque crucem ferente.

CAPVT XLI.

Deplorat vitæ religioſioris procraſtinationem.

CETERVM vt vnde digreſſi ſumus, redeamus, Auguſtinus hac in re nimiùm tergiuer-

giuersatus, ita segnitiem suam deplorat: *Non erat quod tibi responderem dicenti mihi, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: & vndique ostendenti verat e dicere, non erat omnino quid responderem veritate conuictus, nisi tantùm verba lenta, & somnolenta: Modò, & ecce modò, sine paululùm; sed modò & modò non habebant modum; &, sine paululùm, in longum ibat.* Et non ita multò pòst reaccusans semetipsum tarditatis, duos Potitiani contubernales extollit, qui cùm D. Antonij vitam legissent, omni postpositâ morâ diuinis monitis paruerunt, ita vt vnus alteri repentè succlamarit: *Ego sæculi spem omnem abrumpo: hoc loco, hac horâ, Deo seruire aggredior.* Ad hanc promptitudinem adhortans omnes, *Ecce*, inquit, *indulgentiæ dator aperit tibi ostium, quid moraris? gaudere deberes si aperiret aliquando pulsanti. Non pulsasti, & aperit, & foris remanes?* Ne ergo pigeat Deo vocanti mox acquiescere. *De misericordiæ operibus quodam loco dicit Scriptura: Ne dixeris* (pauperi mendicanti) *Vade & reuertere, cras ego dabo, cùm possis continuò benè facere; non enim scis quid sequenti cõtingat die. Audiuisti præceptum non differendi, vt in alium sis misericors; & differendo, in te es crudelis? exhibe & animæ tuæ*

Lib. 8. Cõfess. cap. 5.

Serm. 59. de verbis Domini.

eleëmosynam. Non dicimus, vt tu ei des, sed ne repellas manum dantis. In quod se commisisse recordatus, dolet quòd corde pleno Christi militiâ, vel vnam horam distulerit se illi accingere, & non quantocyùs bellum mundo carnique indixerit: & alibi, *Serò te amaui*, inquit, *pulcritudo tam antiqua & tam noua. Serò te amaui, væ tempori illi, quando te non amaui.*

Lib. 9. Cōfess. cap. 3. & lib. 10. & Soliloq. cap. 31.

CAPVT XLII.

Quantum exemplis perfectiorum hominum fuerit inflammatus.

Lib. 9. Cōfess. cap. 2.

Subducit se à professione literariâ.

VOLVNTATE igitur *Deo vacandi & videndi, quoniam ipse est Dominus*, penitus confirmatâ, Baptismum suscipere, ac dein religiosam vitam amplecti omnino decreuit. Quare statim post vindemiales ferias (viginti circiter dies restabant) leuiter se subtrahere professioni literariæ statuit, gauisus *quòd fatiscentis pectoris subesset quoque non mendax excusatio, quæ offensionem hominum temperaret, qui propter liberos suos, illum liberum numquam esse volebant.* Opportunam hanc relinquendę cathedræ occasionē nactus, verā ipsam caussam, quæ erat stabile Deo seruiendi propositū, vitæ laxioris amatores celat, ne rumoribus forsan vel malesanis illorum persuasioni-

ſionibus ac blanditiis, quæ tunc primùm ſe produnt, intepeſceret: *Tu nobis* (Deo loquitur) *à conualle plorationis aſcendentibus, & cantantibus canticum graduum, dederas ſagittas acutas, & carbones vaſtatores; aduerſus linguam ſubdolam, velut conſulendo contradicentem, & ſicut cibum aſſolet, amando conſumentem. Sagittaueras tu cor noſtrum charitate tuâ, & geſtabamus verba tua tranſfixa viſceribus, & exempla ſeruorum tuorum* (Victorini, Antonij, & iſtorum aulicorum, de quibus antè dictum eſt) *quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ, vrebant & abſumebant grauem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos validè, vt omnis ex linguâ ſubdolâ contradictionis flatus inflammare nos acriùs poſſet, non extinguere.* *Exempla anteceſſorũ cor Auguſtini in bono firmant.*

Cùm ijs igitur ſui antè ſimilibus, ad omnem remoram tollendam, nihil de conſilio communicauit, ſed cum Deum timentibus amicorumque fideliſſimis tantùm, inter quos Verecundo cuidam, qui Euangelicæ perfectionis amore inflammatus *macerabatur anxietudine de Auguſtini & familiarium eius bono, quòd propter vincula, quibus tenaciſſimè tenebatur, deſeri ſe eorum conſortio videbat, nondum Chriſtianus coniuge fideli, eâ tamen ipsâ, arctiore præ ceteris* *Mundum deſerendi propoſitum fidis tantummodò cum amicis cõmunicat.* Lib.9.Cõfeſſ. cap.3.

compe-

compede ab itinere, castitatis religiosæ, *quod ingressi erant, retardabatur: nec Christianum esse alio modo se velle dicebat, quàm illo quo non poterat. Hunc igitur consolantes tristem, saluâ amicitiâ, de tali eorum conuersione, cohortati sunt ad fidem gradus sui*, vitæ scilicet coniugalis, in quâ tametsi salus, non tamen is beatitudinis gradus est, qui continentiæ est proprius. Hic Verecundus Augustino socijsque eius benignè *rus suum Cassiacum obtulit, vbi ab æstu sæculi in Domino quieuerunt*, vouentes inuicem, vt is pro rure illo redderet ei *semper virentis paradisi amœnitatem. Angebatur tunc* ipse; Nebridius verò Augustini socius licet nec ipse omnino Christianus esset, tamen plurimùm collætabatur, multa Augustinum de fidei mysterijs interrogans, & paulò pòst in castitatis perfectæ studio emoriens. *Nunc* (loquitur Deo) *ille viuit in sinu Abrahæ dulcis amicus meus. Nam quis alius tali animæ locus? Iam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro auiditate suâ sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex eâ, vt obliuiscatur mei, cùm tu Domine, quem potat ille, nostri sis memor*. Hunc itaque Nebridium opperientibus Augustino & socijs, euoluti sunt tandem feriarum dies, *qui longi & multi*

multi videbantur præ amore libertatis otiosæ, ad cantandum de medullis omnibus, Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, nimirum oculis animæ meæ, pulcritudinem tuam intueri desiderans, ceteraque cuncta fastidiens. Hoc mihi superest vnicum studium, non solùm vt in æternâ beatitudine vultum tuum reuelatâ contempler facie, verùm etiam vt in hac vitâ seriò recogitem actionum mearum omnium inspectorem, vtque in honorem nominis tui, tamquam in vltimum scopum opera mea omnia conuertam.

CAPVT XLIII.

Rus abit, vt ad Baptismum se paret, libros aliquot componit. Psalmum IV. *accommodè explicat conuersioni, quam accelerat, odontalgiâ diuinitus liberatus.*

PROFESSIONE ergo Rhetoricâ, ceterisque impedimentis iam expeditus, in Verecundi villam quieti aptissimam, cum Monicâ secundùm matre, suauissimisque collegis Alipio, Nebridio, & Adeodato puero secessit; inibi namque sine dubio videbat se ad Baptismum commodiùs posse disponi. Sicut enim aqua fontis turbida non reddit iuxta se positarum rerum imagines,

Rus & secessus à turbâ animo reparando sunt aptissima.

Lib. 9 Cōfess. cap. 4.

gines,tranquilla verò & limpida,quæ propè quæve longiusculè distant intuentibus repræsentat;ita mens humana rerum sæcularium turbis permista, neque seipsam attendit,neque considerat:verùm in secreto collecta quietique reddita,seipsam suosque defectus, atque etiam diuina beneficia clarius intuetur. Eadem igitur in villâ,& ad Baptismi sacramentum sese comparauit Augustinus, & exclusis vitæ præteritæ tumultibus, libros aliquot composuit, videlicet Academicos, Soliloquia de Ordine, Vitâ beatâ, Immortalitate animæ, & alia quæ adhuc supersunt commentaria. Per idem autem tempus S.Scripturæ,Dauidicorum præsertim Psalmorum lectioni, feruentibus ad Deum precibus profundæque meditationi, cum ineffabili dulcedine frequens vacabat. O quæ voces, qui ardores, quæ amoris flammæ, quæ iubila, qui æstus tum cordis eius, à Deo salubri charitatis vulnere sauciati! Indignabatur primùm, compatiebatur deinde Manichæis, *quòd illa Sacramenta,illa medicamina nescirent, & insani essent aduersus antidotum* Catholicę fidei,*quo* solo *sani esse potuissent*; quodque hic thesaurus mysteriorum Dei,qui totius mundi opibus excellentior est, ab ipsis (vt etiamnum hodie, prô dolor! ab Ethnicis, & hæreticis vniuer-

Sanctissima Augustini exercitia.

Lib.9.Cōfess. cap.4.

vniuersis) ignoraretur. Eximij illius motus, mirabilesque affectus erant, quos & à Manichæis percipi exoptasset, cùm supernæ suauitatis nectare degustato, legebat, inque otio sancto decantabat Psalmum quartum, *Cùm inuocarem: Inhorrui*, inquit, *timendo, ibidemque inferbui sperando, & exultando in tuâ misericordiâ. Et hæc omnia exibant per oculos meos, & vocem meam, cùm conuersus ad nos Spiritus tuus bonus ait nobis: Filij hominum, quousque graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et ego tam diu nesciens vanitatem dilexi, & mendacium quæsiui. In phantasmatibus enim, quæ pro veritate tenueram, vanitas erat & mendacium. Et insonui multa grauiter in dolore recordationis meæ; quæ vtinam audiuissent qui adhuc diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, fortè conturbarentur, & euomerent illud. Legebam, Irascimini, & nolite peccare: & quomodo mouebar, Deus meus, qui iam didiceram irasci mihi de præteritis, vt de cetero non peccarem. Nec iam bona mea foris erant, nec oculis carnis in isto sole quærebantur. Volentes autem gaudere forinsecus, facilè euanescunt, & effunduntur in ea quæ videntur, & temporalia sunt, & imagines eorum famelicâ cogitatione lambunt. Et ô si fatigarentur inediâ, & dicant; Quis ostendet nobis*

Breuis explicatio Psalmi 4. conuersioni inseruiens.

Mundani, imagines tantummodò bonorum famelicâ cogitatione lambunt.

nobis bona vera? *Et dicamus, & audiant: Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. O si viderent internum lumen æternum; quod ego quia gustaueram, frendebam quoniam non eis poteram ostendere, si adferrent ad me cor in oculis suis foris à te, & dicerent, Quis ostendet nobis bona? ibi enim, ibi mihi iratus eram, intus in cubili, vbi compunctus eram, vbi sacrificaueram, mactans vetustatem meam, & inchoatâ meditatione renouationis meæ sperans in te, vbi mihi dulcescere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo. Nec volebam multiplicari terrenis bonis, deuorans temporalia, & deuoratus temporalibus; cùm haberem in æternâ simplicitate aliud frumentum & vinum & oleum. O in pace, ô in idipsum! obdormiam, & somnum capiam! Et tu es idipsum valdè, qui non mutaris, & in te requies obliuiscens laborum omnium, quoniam nullus alius tecum. Sed nec multa alia adipiscenda quæ non sunt quod tu: sed tu Domine singulariter in spe constituisti me. Hunc Psalmum, has literas de melle cæli melleas, & de lumine Domini luminosas legebat, ardebat, & tabescebat, quando recordabatur omnia dierum illorum feriatorum.*

Et ecce tantâ dulcedine spiritualis gaudij delibuto, mox acerbi quidpiam instillatur, dolor nempe dentium; in quo malo cùm

cùm vſque ad defectionem vocis tortus eſſet, in ceratis tabulis (loquelæ impos) ſcripſit vt vnanimes precibus adſtantes incumberent: quod cùm feciſſent & ipſe ceteríque, mox dolor omnis abſceſſit. Quantus is fuerit, teſtatur: *Sed quis dolor? aut quo modo fugit? Expaui fateor, Domine meus, Deus meus; nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram:* ita enim miſericors Dominus ſpiritualibus gaudijs amari quidpiam inſpergere, & per id hominis ad ſe conuerſionem accelerare ſolet. Vnde ſtatim per literas à D. Ambroſio conſilium expetijt, quid ſibi potiſſimùm de libris Scripturæ ſacrę legendum eſſet, *quo percipiendæ* Baptiſmi *gratiæ aptior fieret. At ille iuſſit Iſaiam Prophetam, quòd præ ceteris Euangelij vocationiſq; Gentium ſit prænuntiator apertior.* ſed cùm primam periodum non intelligeret, & quod erat reſiduum, ſimili obſcuritate plenum exiſtimaret, in aliud tempus lectionem illam reiecit, *exercitatior in Dominico eloquio.*

A grauiſſimo dentiū dolore precibus liberatur.

Lib 9. Cōfeſſ. cap. 5.

DE VITA D. PATRIS AVRELII AVGVSTINI EPISCOPI

LIBER II.

Continens ea potissimùm quæ gessit à Baptismo vsq; ad Episcopatum.

CAPVT I.

Augustinus Baptismum ceteraq́; Sacramenta ex more recipit. Hymnum, Te Deum laudamus, *cum Ambrosio diuinitus inspiratus concinit.*

Lib. 9. Cōfess. cap. 6.



T iam Paschales instabant feriæ, cùm relicto rure, Mediolanum repetijt, vt solemni hoc tempore (vt tunc erat moris) sacro Baptismi liquore in Ecclesiâ ablueretur. Contigit hoc anno ætatis eius XXXIV. partus Virginei CCCLXXXVIII. tertio Nonas Maij (qui dies postmodum conuersioni eius fuit sacer)

Baron. t. 4. anno 388. num. 71. & in Annot. Martyrol. 5. Maij.

cer) effusâ totius Ecclesiæ lætitiâ, exultantibus bonis omnibus, ac velut triumphum celebrantibus ob talis ac tanti viri conuersionem: qui priùs tantum erat infestus Orthodoxis omnibus, vt in Litanijs iussu D. Ambrosij referant addi solitum: *A Logicâ Augustini, Libera nos Domine:* quarum Litaniarum exstare etiamnum dicunt quędam exemplaria. Non igitur sine caussâ tam ingens Ecclesiæ gaudium fuit, vt in omnium ore versaretur; Augustinum tam captiosum pridem Catholicorum aduersarium Christiano ritu baptizatum esse. Neque hoc tantùm in eâ ciuitate hominum sermonibus diuulgabatur, sed & rem eamdem quaquauersus præ lætitiâ transscribebant primarij quidam Mediolanensium; adeoque ipsemet Augustinus ad amicos in Africâ literas de Baptismate suo dabat. Valerius autem Hipponensis Episcopus hac de re factus certior, gaudio gestiens, est Augustino per literas gratulatus, calcarque subdidit ad sanctitatis progressum, vt patet ex illius ad Augustinum Epistolâ, quam in Ducum Mediolanensium bibliothecâ repertam, & Latinitate donatam, eruit de tenebris Gabriel Sfortia Augustinianus, Archiepiscopus Mediolanensis, frater Ducis Francisci Sfortiæ. Summam verò lætitiam

Ingens fama & gaudium per Vrbem & Orbem propter Augustini Baptismum.

H 2 res

res ea peperit D. Ambrosio, quòd (vt noster Iacobus de Valentiâ Episcopus Christopolitanus) præuideret egregium fore Augustinum diuini verbi præconem; & viæ Dominicæ, instar Ioannis Baptistæ, tot inter errores hæreticorum, præcognosceret ducem ad veritatem Catholicam futurum; non aliâ quàm diuinâ præsensione, quâ simul cum Augustino supernè afflatus, illum toto terrarum orbe celeberrimum Hymnum, *Te Deum laudamus*; alternis vocibus felicissimâ extemporalitate cecinit cum eodem obeundo viam publicam, ex more, quo recèns baptizati solemni pompâ in supplicatione circumducebantur. Quâ etiam lætitiâ credibile est cælites affectos fuisse, cùm sub idem ferè tempus visi sunt velut eorum legati Ambrosio DD. Geruasius & Protasius, cum tertio quodam, qui (vt ait Damascenus) referebat Apostolum Paulum, cuius semper studiosissimus fuit Augustinus. Equidem Mediolani prope basilicam vidi sacellum mole exiguum, sed ob venerationis antiquitatem à Borromæis & Mediolanensibus piè cultum, cuius tabula altari supposita, ritum solemnem hunc explicans, testimonio est, D. Augustini, Alipij, Nebridij, & pueri Adeodati celebratum ibidem à D. Ambrosio Baptisma fuisse.

In Hymnũ, Te Deum laudamus.

Rodolph. Tungr lib de Canon. obser. propos. 13.

Lib. 9. Cõfess. cap. 7. Orat. 2. de Imag.

Etiam

Etiam Confirmationis sacramentum accepisse scribit Dacius in Chronico: quod probabile satis est; omnibus enim à Baptismate dabatur sacra Confirmatio, cuiuscumque ætatis vel conditionis ij essent, vt patet ex Dionysio lib. De Eccl. hier. cap. 4. Cyril. Ierosl. catechesl. 4. mystag. & ipso Augustino tract. 6. in primam canonic. Ioannis. Æquè rationi conueniens, eum sacrâ Eucharistiæ sumptione refectum fuisse: nam eam baptizatis solitam fuisse dari statim post Baptismum, docet idem Dionys. eodem lib. De Eccl. hier. par. 2. & 3. Iustin. in Apol. in fine; Cyprian. lib. 2. Epistolâ 3. Ambros. lib. De myst. cap. 8. Augustin. Epistolâ 23. ad Bonifacium, & alibi. Quod & satis indicat Possidius cap. 1. in Vitâ, vbi ait eum per Ambrosium Antistitem diuina Ecclesiæ Catholicæ accepisse Sacramenta. Quorum admirando effectu *fugit ab eo sollicitudo vitæ præteritæ: nec satiabatur illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij diuini super salutem generis humani. Multùm flebat in hymnis & canticis suauesonantis Ecclesiæ, vocibus vehementer affectus. Voces*, ait, *illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex eâ æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.*

Augustinus S. Confirmationis atque Eucharistiæ Sacramēta baptizatus accepit.

Sacramētis susceptis mirabili perfunditur dulcedine.

Lib. 9. Cōfess. cap. 6.

Turbo ſtillaticius apud pharmacopolas, conceptis intus roſis fragantiſſimi odoris, propter ignem qui ſubijcitur, ſuauiſſimum emittit liquorem, cuius plurimus vſus eſt in rebus quæ medicinam ſpectant. Pari modo cor Auguſtini, per aurium conceptacula, velut floſculos concipiens hymnorum & canticorum, quæ in Eccleſiâ Catholicâ frequentabantur, ab igne charitatis reſoluebatur, ſeſeque patefaciebat in illius animo veritas, cuius energia per oculos effluebat, gratiſſimum cùm ipſi tum alijs infirmioris palati neophytis antidotum præſtans.

CAPVT II.

Summa D. Auguſtini pietas in Precibus Eccleſiaſticis audiendis & recitandis.

HVNC igitur in modum diuino Officio intererat, & ipſemet deinceps per dies ſingulos ordinarias preces ad Deum fundebat, ſummopere illam Prophetæ comminationem exhorreſcens; *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Ideoque (Ierem. 48.) penſum Horarum ſummâ animi attentione perſoluit, atque etiam auxit; & inter alia cõcinnaſſe fertur Reſponſoria quæ dici ſolent poſt Lectiones matutinas. Ad hęc contra hæreticos quoſdam, negantes pro Defunctis preces valere, mortuorum Officium com-

composuisse putatur. Tum etiam probabile valdè, coniunxisse septem Psalmos pœnitentiales. Id sanè constat, paulò ante mortem eosdem recitasse ante se positos, vt infrà latiùs ostendetur. Tantâ verò animi præsentiâ & attentione Preces horarias recitabat (prô temporis nostri abusum!) vt in Deum absorptus esse videretur; quem sibi quidem vbique & semper, maximè tamen orationis tempore præsentem intuebatur: *Gressus meos*, ait, *semitasq́; consideras, & die noctuq́; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus; veluti si totius creaturæ tuæ cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil tibi sit curæ de aliis. Semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers si me paratum inuenis. Quocumque iero, tu Domine me non deseris, nisi prior ego te deseram. Fateor quidem quia quidquid facio, meliùs tu vides quàm ego qui facio; quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis, vtpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum. Cumq́; hæc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas iustè rectèq́; vi-*

Lib.6.c.62

Soliloq. cap.14.

 uendi,

uendi, qui cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis.

CAPVT III.

Quomodo D. Augustinus à Baptismo, pietati ac pœnitentiæ deditus fuerit.

FVIT igitur Augustinus hoc omni tempore contemplationi, orationi, lacrymis, ceterisque pietatis officiis apprimè deditus, & in Deum sanctumque eius amorem incensus. Manifestè hoc eiusce verba suprà dicta significant: *Ascendenti à conualle plorationis*, &c. Solebant namque proselyti apud Iudæos recèns conuersi, & adhuc peccatorum labe infecti, dum sese purgarent, profundiorem quemdam locum adire, quē Lacrymarum vallem, necnon Gehennam vocabant; in quâ fons erat, cuius aquâ abluti primùm, dein amicti veste candidâ, paullatim ad templum ipsum Ierosolymitanum ascendebant, quod in vrbis edito loco situm erat: iidemque proselyti inter ascendendum, lacrymas precesque ad Deum profundere solebant. Ad hunc lustrationis ritum attendens Augustinus, Religionem Catholicam vocat Lacrymarum vallem, quòd in eâ sacrum Baptismi fontem inuenerit, cuius vi expiatus fuit omnibus iis quibus antè maculabatur peccato-

Sup lib. 1. cap. 42.

Quænam Lacrymarum vallis.

catorum ſordibus; quodq́; ſimul innocentiæ candido velamine ſit indutus: de quo Lactantius: In carmine Paſchali.

Fulgētes animas veſtis quoq; cādida ſignat.

Vt verò ex hac valle plorationis luſtratus aſcendit, continuò ex oculis eius erupêre duo lacrymarũ fontes, quibus cœpit, inſtar filij prodigi, peccata ſua deplorare, gratiaſq́; Deo agere, quòd eũ de tantis malis eduxiſſet. Atq; ideò ibat cantans Canticum graduum. *Quodnam Canticum graduum?* Quod ideò ſic dictũ fuit, quia quotieſcumq; populus Hebræus ſeſe ab hoſtibus in libertatem aliquã vindicabat, in gratiarum actioné pro adeptâ libertate canere ſolebat quindecim Pſalmos graduales, adſcendendo paulatim, quaſi per gradus, verſus Ieruſalem in editiore loco ſitam. Ad hunc igitur morem, & ad ritum ſuperiorem, dicit ſe incinuiſſe Pſalmos, in memoriam & gratiarum actionem tanti beneficij, quo Deus eum de peccati ſeruitute, deq́ue tot erroribus in viam veritatis, inq́ue libertatem Chriſtianam aſſeruit.

Ceterùm vt hunc accliuem pœnitentiæ montem promptiùs aſcenderet, dicit ſe ante oculos poſuiſſe, velut faciliores ad ſcandendum gradus, exempla hominum aliquot ſanctorum, qui à peccatis ad Deum conuerſi, Spiritus ſancti flammâ mirabili-

ter exarſerunt. Horum igitur præuiis exemplis eſt incenſus, horum efficaciâ dubitationis omne frigus abſceſſit: hæc eumdem tam potenti amoris vulnere ſauciarunt, vt Dei beneficiorumque eius memoria, velut acutę ſagittę cordi eius aſſiduò inhærerent. Quæ cauſſa fuêre, vt ſtatim à Baptiſmate corpus ſuum frequentibus longiſque ieiuniis caſtigaret, cilicinâ veſte domaret, mortificationibuſque crebris exerceret: quibus hoc aſſequebatur, vt virtutum quod fecerat damnum reſarciret, vulneraque criminum ſanaret. Has eaſdem peccatorum cicatrices, pœnitentiæ, vt ſic dicam, chlamyde inueſtiebat, quæ lacrymarum quaſi gemmis intexebatur, quam vitæ aſperitas commendabat, cuius velut puluiſculos diſciplinæ excutiebant, quam eamdem adamas fidei, ſmaragdus ſpei, pyropus charitatis incendebant.

Inſignis Auguſtini pœnitentia.

CAPVT IV.

S. Auguſtinus baptizatus, Euangelicam perfectionem, tutiſſimamq; ad ſalutem viam conſectans, fit monachus.

VEHEMENTIORES autem ſtimulos ſubiecit ad currendam viam mandatorum Dei, ipſius Saluatoris exemplum: in cuius vnius doctrinâ & moribus abſolutiſſima

In vnius Chriſti moribus eſt abſolutiſſimũ virtutis exemplar.

tiſſima veræ virtutis exempla hominibus eſſe propoſita norat. *Satellites*, inquit, *voluptatum diuitias, perniciosè populi appetebant, pauper eſſe voluit: honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit: carnales filios magnum bonum putabant, tale coniugium prolemq́; contempſit: contumelias ſuperbiſſimè horrebant, omne genus contumeliarum ſuſtinuit: iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur, quæ maior iniuria quàm iuſtum innocentemq́; damnari? dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus eſt: mori metuebant, morte multatus eſt: ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant, crucifixus eſt; omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit: omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur quæ ille contempſit; aut fugiuntur ea quæ ille ſuſtinuit. Tota itaque vita eius in terris, per hominem quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morũ fuit.* Quam quidem vt baptizatus eſt, ſategit omni quâ potuit ratione aſſequi; turpiſſimum ratus, niſi quemadmodum nomine Chriſtiano, ſic & vitæ ſimilitudine Chriſtum in terris imitaretur: quaque viâ cælum aſcendit, ipſe itidem ſequeretur. Quapropter honores,

Lib. De verâ Relig. c.16.

Lib. De fide & Symbol. c. 4. & Lib. 83. qq. q. 26. &c.

Auguſtinus baptizatus, ſategit omni ratione aſſequi diſciplinam Chriſti.

res, linguæ quæstus, Veneris illecebræ, ceteraq; mundi blandimenta numquam pridem fuerant tantæ voluptati, quanto iam erant fastidio.

Augustinus monachus. Id vnum erat cordi, quî per heroïcas virtutes, perfectionisque Christianæ exercitium, ad Deum viciniùs accederet. Compertum enim habebat, tum denique optimè esse homini, cùm totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Ideoque Christi & Apostolorum eius sectatus vestigia, monasticę vitæ genus sine morâ delegit. Quod latius contra huius veritatis oppugnatores deducere, non est mihi propositum; maximè cùm D. Possidius omni exceptione maior testis eiusq; domesticus, dicat eum Euangelicæ perfectioni, & omnimodę Christi discipulorumque eius imitationi sese tradidisse. *Mox, ait, ex intimus cordis medullis, spem quam habebat in sæculo dereliquit, iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores sæculi quærens, sed soli Deo cum suis seruire statuit; in illo & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro vobis dare regnum. Vendite quæ possidetis, date eleëmosynam, facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficien-*

Lib. 1. De doct. Chri. cap. 22.

Cap. 2. Vitæ D. Augustini.

Lucæ 12.

Matth. 19.

cientem in cælis. Et ipſemet Auguſtinus ſæpè Apoſtolicam hanc vitam ope diuinæ gratiæ, etiam ante ſacerdotium, amplexum ſe fuiſſe teſtatur. *Quid ergo*: ait, *dicunt qui nobis inſultant de nomine monachorum.* Et alibi deplorans ſe non in ſanctâ Religione, vt par erat, ita ſanctè vixiſſe, *Tuliſti*, fatetur, *me Domine de domo patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum, & inſpiraſti mihi vt ſequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium ſemitam rectam, commorantium inter lilia caſtitatis, & tecum diſcumbentium in cænaculo altiſſimæ paupertatis; & ego tot beneficiorum ingratus, poſt Religionis ingreſſum multa commiſi illicita.* Ex quibus clarè liquet, eum religioſam vitam arripuiſſe; quæ tria, Caſtitatis nempe, Paupertatis, & Obedientię, vota complectitur. Quam ob cauſſam, vt ſuprà ex Poſſidio relatum eſt, mater eius Monica, longè ampliùs de hoc animi eius decreto, quàm de carnis nepotibus (quos per Auguſtini coniugium, ſi monachus non fuiſſet, habere potuiſſet) eſt ſibi gratulata. Id vnum namque frequentiſſimis à Deo precibus lacrymiſque aſſiduis expetierat, vt Auguſtinum *Chriſtianum Catholicum videret, priuſquam moreretur: cumulatiùs hoc illi Deus præſtitit, vt hunc etiam contemptâ felicitate terrenâ*

Enarrat. Pſal. 134.

Lib. Meditat. c. 39.

Lib. 9. Cōfeſſ. c. 10.

renâ seruum eius videret, non per emendatiorem vitam tantùm, verùm etiam per Regulæ monasticæ professionem: eâ enim tempestate iidem qui iam dicuntur *Religiosi*, *Serui Dei* vocabantur. Asseruatur etiamnum in bibliothecâ Vaticanâ codex peruetustus manuscriptus De cognitione veræ vitæ, cuius libri finis asserit, D. Augustinum hunc librum scripsisse Fratribus eremitis in monte Pisano, cum iam seruus Dei siue monachus existens, Mediolano contendit ad Ostia Tyberina per eumdem Pisanum montem; in quo refert eum Franciscus Petrarcha commoratum aliquo tempore fuisse indutum veste eremiticâ, quam baptizatus statim induerat. Id cum alij Augustinum sic egisse omnino probent, ego dumtaxat traditionem antiquam secutus, huc obiter insero commodiore loco, de eiusdem vitâ monachicâ dicturus. Quòd si forsan aliqui D. Augustinum monachum vel eremitam fuisse negent, id de anachoritâ, non verò cœnobitâ ex mente B. Iordani intelligendum, quoniam inquit, *non est dubium eum cœnobitam fuisse*.

P. Damianus in ser. qui incipit, *Cunctis amantibus*, &c.

Barth. Vrbinas in prologo Milleloq.

Lib. 2. De vitâ solitariâ.

Augustin. epist. 19.

Lib. 1. c. 7.

CA-

CAPVT V.

Quali veste D. Augustinus monachus, eiusq́; sequaces sint vsi.

ERAT autem vestis eius toga tunicáve oblonga, quam zona cingebat, prætérque hanc cucullus; genus vestimenti hominum viliorum, ac minùs sapientum (eis enim conuenit vestes arctiùs aptari, ne indecenter defluant) eoque contra aëris iniurias vtebatur. Potuit etiam fuisse leuidensa, vel etiam cilicium: nam lib. De opere monachorum, *Tondeant*, inquit, *& cilicio caput velent.* Hoc genere vestitus sanctissimi homines, volentes videri mundo desipere, oblectabantur; pessimi quique, ac in primis hæretici, offendebantur. Vnde etiam illud Manichæi in Augustino carpunt, Augustinus verò sibi honori ducit. Eisdem vestibus indutus, quamuis Episcopus esset, populo coràm se ostendebat, vt videre est Serm. XLIX. De diuersis. de quo infrà loco magis opportuno dicemus. Taliter indutum fuisse post acceptum Baptisma, docet præter D. Ambrosium (cuius affertur hac de re Sermo) Petrus Morsalinus Franciscanus, tam in Martyrologio, quàm suis in idem Annotationibus, ad tertium Nonas Maij, vbi dicit D. Augustinum à B. Ambro-

Vestes diui Augustini religiosæ.

brosio baptizatum, nigro monasticoq; habitu fuisse indutum. Fidem etiam huic rei faciunt antiquissimæ variis in locis picturæ: nam in B. Mariæ, D. Petri, S. Ioannis, pluribusq; Romæ templis, necnon sanctæ Sophiæ Constantinopoli, Venetiis, & compluribus Italię ædibus cathedralibus, S. Augustinum depictum nigri coloris vestibus monachicis, refert inter ceteros Ambrosius Coranus in Apologiâ secundâ, quam Xysto IV. obtulit. Extat in Bibliothecâ Vaticanâ liber ex pergameno, sicut & fornix antiquus circa eumdem locum, vbi opera huius sanctissimi Doctoris manuscr. posita vidi, in quorum vtroque S. Augustinus Pontificalibus vestibus, & cucullo nigro cernitur. In vrbe etiam Papiensi iam à multis annis depictus inuenitur D. Augustinus cum huiusmodi religiosis ac Pontificalibus indumentis in aulâ Senatoriâ: vbi ciuitatis decuriones genuflexi ob cessantem eius intercessione pestem, duodeuiginti faces offerunt: cuius rei vt perpetua foret memoria, ita literis est prodita: *Anno* M. D. III. *vrbe nostrâ, peste sæuissimâ afflictâ, desperato irritoq; humano auxilio, cælesti protectori Augustino duodeuiginti faces albas quotannis oblaturi nuncupato voto, salubrem statum impetrarunt.*

Angelus Rocha in Biblioth. Vatican. f. 243.

D. Augustinus intercessor contra pestem.

Cete-

Ceterùm huius habitus colorem atrum fuiſſe, docent ferè iidem. Solebat enim color priſcorum monachorum talis eſſe, ac præſertim tempore S S. Auguſtini & Hieronymi; ad diſtinctionem primùm hæreticorum, qui id temporis in tantum albis veſtibus delectabantur, vt etiam illis amicti, iuſta perſoluerent: dein ad ſignificandum hoc atro colore, ſe mundum lugere, ac pœnitētiæ debere fructus adferre, vt benè docet Ioannes Ieroſolymitanus. Quare & Ruffini ſocia Melania (teſte Paulino epiſtolâ 11.) ſericam auratamque ſupellectilem, veteribus & nigris veſtibus commutauit, ad mundi contemptum aſpirans. Quod idem cùm Edicia moliretur inconſulto marito, ſic ab Auguſtino reprehenditur: *Quid abſurdius quàm mulierem de humili veſte viro ſuperbire, cui te potiùs expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis veſtibus repugnare.* De his quoque Prudentius: *Squalent*, inquit, *recinctâ veſte pullati Patres.* E quorum numero fuit S. Martinus, qui primus ex Oriente nigrum monachorum habitum in Italiam inuexit, cuius inter ceteros Mediolani diſcipulus fuit beatus Simplicianus, à quo genus hoc monaſticæ veſtis Auguſtinum accepiſſe, detuliſſe, eoque religioſum egiſſe, præter fidem

Habitus diui Auguſtini niger.

Eunapius in Vitâ Aedeſij.

Petrus Venerabilis lib. 5. c. 15.

Lib. de Inſtit. monachor. c. 34.

Epiſt. 99.

In hymnô ieiun.

Pet. Venerab. ſu. li. 5. epiſt. 15.

posterorum, etiam hæreticorũ sub id tempus sannę & irrisiones sunt arguméto, Petiliani videlicet & Secundini. Quorum alter Petilianus in Augustino (vt ipsemet scribit) grauiter & ore maledico idipsum reprehendebat; Secundinus verò Augustinum propter vestes pullas quas deferebat, è splendido cæli conuiuio, in obscuriores inferni tenebras præcipitandum nugabatur. Testis est ex recentioribus Cardinalis Bellarminus tom. 2. lib. 2. C C. variis de Monach. & lib. de Eccles. Script. sæcul. v. in principio, Baronius tomo 4. anno Christi CCCXCI. & P. Ribadeneira in Flore Sanctorum, XXVIII. Augusti, asserentes vnanimi sententiâ, vitę monasticæ institutum ab Augustino in Africam inuectum fuisse, eumdemque id seruasse, aliisque seruandum tradidisse. Mombricius in Vitâ S. Simpliciani; S. Antonin. 3. p. hist. t. 24. Matur. ad hanc 3. p. & t. 24. S. Antonini, Valent. 2. 2. De statu Relig. Anton. Posseuin. in Appar. sacro, v. Augustinus, Auctor Appendic. ad Catal. Petri de Natal. & alij, *Augustinum*, asserunt, *Ambrosius baptizauit, nigroq; superindutum cucullo, pelliceâ zonâ cinxit*. Æquè dilucidè etiam Hieron. Torrent. in suâ Confessione, *Augustinus*, inquit, *monachus fuit, monachorum institutor*,

Lib 3. adu. Petil. c. 40.

Tom. 6. Augustini ante librũ eius.

Lib. 4 Cõfess. Aug. de monachor. instituto, cap. 8. Proposit. 6.

tor, cucullo nigro indutus, & cingulo coriaceo præcinctus. Quam rem etiam confirmat istud, quòd Augustini sequacibus Eremitis idem habitus decretus est aliquot antè sæculis, ac contra reprehensores fuit pronunciatum à Leone I. & Alexandro IV. *Sedes* inquit D. Antoninus, *Apostolica aspiciens ad primariam Ordinis originem, habitum superiorem ei determinauit; imò veriùs, dudum per S. Augustinum determinatum declarauit, statuendo videlicet, quòd eorumdem* (scilicet Eremitarum S. Augustini) *habitus exterior esset cucullus nigri coloris*. Idem pluribus locis effusè declarat B. Iordanus in libris De Vitis Fratrum, libro præsertim primo, capite 15. & aliis. In fine 3. p. histor.

Cùm autem in quibusdam locis, atque in Hiberniâ maximè, venefici quidam eiusdem coloris vestibus vterentur, ad distinctionem illorum, Eremitæ Augustiniani vestes albas ferre cœperunt: quâ tamen occasione cessante, priorem habitum nigrum resumpserunt; albâ veste dumtaxat intra domesticos parietes vtendo. Quam diu retentam, cùm Benedictus II. quorumdam precibus commotus vellet vt ne ampliùs Augustiniani ferrent, primarij Patres aliquot Perusij (quâ in vrbe Pontifex Romanus tum erat) coram B. Virginis imagine *Quâ ratione Eremitæ Augustiniani habitu albo vtantur.*

votum fecère, vt si illius patrocinio habitum retinerent, quem in honorem eiusdem deferrent, Ordo noster vniuersus certas quasdã Lectiones ex S. Augustino concinnatas cum Psalmis aliquot, per hebdomades singulas recitaret: quâ re diuinitus impetratâ, etiamnum domi candidâ veste in honorem intemeratæ Virginis amiciuntur. Atque ideò iam tum ex eo tempore, quo hoc à Deo beneficium receperunt, Augustiniani quibusdam in locis dicti sunt Gratiani, seu Religiosi de gratiâ. quamquam & aptè sic vocari queant, si ad ipsum magnum patremfamilias Augustinum respiciamus, qui gratiæ Dei, contra tot illius impugnatores, defensor singularis exstitit, quique sui imitatores hunc salutandi modum (*Deo gratias*) primus edocuit, in gratitudinis signum pro tantis tamque diuersis in genus humanum Dei beneficiis; ac præsertim, quòd è tot hominum millibus se non tantùm ad religionem Orthodoxam, verùm etiam ad monasticum vitæ genus euocasset.

Augustiniani dicti quibusdam in locis Gratiani.

Enarrat. in Psal. 132.

Lib. De diligendo Deo cap. 7.

CAPVT VI.

S. Augustinus Diuinarum literarum studiosissimus; quas etsi non capit, maximè tamen suspicit.

IGITVR Christianæ fidei mysteriis initiatus, talique veste indutus, diligenter se exercuit in studio, atque commentatione S S. literarum, è quibus veluti diuitibus venis eruebat æternæ vitæ thesaurum, quo vno sumus beati. Frequens item erat in Ecclesiâ, quòd in eâ, prout dictum est, mirâ dulcedine perfunderetur, ob hymnorum suauem concentum: qui per ea tempora primùm Ambrosij statuto choris alternis cœpti sunt in templo decantari. Cùm enim Iustina Augusta, hæresi Arianâ infecta, D. Ambrosium Episcopum impotentiùs odisset, sublatumque vellet è medio: vir sanctus pro retinendâ religione, conseruandisque patriis legibus mori paratus, cum primariis aliquot ciuibus in æde sacrâ constanter excubabat; simul id agens, vt ne quid tædij, suauesonantibus hinc inde canticis, populus sentiret. Quam rationem cantandi postmodum imitatæ sunt pleræque Occidentis regionis Ecclesiæ (nam ea in Oriente tunc præuigebat) *vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum* pieta-

S. Augustinus Sacrarũ literarum & adium sacrarum amantissimus.

Lib. 9. Cõfess. c. 7.

Li. 10. Cõfess. c. 33.

pietatis assurgeret. In hunc eumdem finem, videlicet vt feruentiores in Deum excitarentur affectus, externos quoque ritus inter orandum adhibere optimum censebat, docentque hæc ipsius verba: *Orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quod aliud visibiliter faciunt; quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, vt ei humanus pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo ad orandum, gemendumq; humiliùs atque feruentiùs. Et nescio quo modo, cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit.* Quod in seipso fatetur experientiâ didicisse; dum in templis exteriores hæ cærimoniæ frequentarentur, fideique mysteria decantarentur: quibus firmissimum semper adhibebat assensum, licet ea intellectu conspicere non posset; animaduertens præsertim quamplurima in rebus humanis fieri cernique quotidie, quorum nulla ratio dari possit, quæ tamen non nisi temerè negantur. Quare,

Lib. De curâ pro mor. cap. 1.

Percantum & ritus externos, interior affectus excitatur.

Quæ Sacris in literis non intelligimus, suspicienda.

Vide li. 21. De Ciuit. Dei.

Demus,

Demus, inquit, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus tota ratio facti est potentia facientis. Illa est laus fidei, non visa credere; præmium erit intelligere, ac creditorum possessione gaudere.* Eodem lib. cap. 7.

Capvt VII.

S. Augustinus roboratur miraculis in fide, quæ Mediolani contigerunt; vbi & B. Simpliciani sodalibus viuendi regulam tradit.

Cvm in hisce rebus fidei iam antè non leuiter instructus esset, maximopere confirmatus est occasione sanctorum corporum Geruasij & Protasij, quæ Dei monitu cùm essent reuelata, pluribus per id tempus miraculis coruscabant. Complures enim energumeni liberabantur, & frequentes ægri sacrarum vestium attactu sanabantur, ac inter ceteros, ciuis quidam Mediolanensis totâ vrbe notissimus, cæcitate liberatus fuit. *Quanta*, inquit, *oraria iactitantur! quanta indumenta super reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcuntur! Gaudent omnes extremâ lineâ contingere, & qui contigerit, saluus erit. Tantæ gloriæ*, inquit, *Martyrum ego etiam testis fui, memorabilia facta noui* in viri innocentis & fidei Catholicæ præsidium, aduersus hæresis *femineam, sed regiam rabiem*,

Lib. 9. Cõfess. cap. 7.

Varia per sacras Diuorum reliquias miracula.

Ambrosi. epist. 85.

Lib. 22. De ciu t. Dei cap. 8.

in omnibus quidem ſibi ſubditis prouincijs,at Mediolani maximè ſæuientem.

Hac in vrbe dum Auguſtinus moras traheret, duo memoratu digna contigerunt, quæ in hunc modum ipſe deſcribit: *Proſcholos pauper inuenit ſacculum (niſi fortè numerus me fallit) cum ſolidis ferè ducentis: propoſuit pitaciũ publicè, Qui ſolidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pitacio, venit ad hominem. Et ne fortè quæreret alienum, quæſiuit ſigna, interrogauit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum: & cùm omnia ille fideliter reſpondiſſet, reddidit quod inuenerat. Ille repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tamquam decimas obtulit ſolidos viginti; qui noluit accipere: obtulit vel decem; noluit accipere: ſaltem rogauit vt vel quinque acciperet; noluit ille. Stomachabundus homo proiecit ſacculum: Nihil perdidi, ait: ſi non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei! quale certamen! qualis pugna! qualis conflictus! Theatrum mundus, ſpectator Deus. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit, continuò totum pauperibus erogauit, vnum ſolidum in domum ſuam non dimiſit.* Hæc ipſe. Secundum verò, quo docemur defunctos

Serm. 19. de verbis Apoſt.

Mirabile duorũ circa inuentum marſupium certamen.

ctos nostra nouisse atque curare, ita refert: *Pro certo, cùm Mediolani essemus, audiuimus, quod cùm debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolatâ, quod filio nesciente à patre iam fuerat persolutum: contristari homo grauissimè cœpit, atque mirari quòd ei pater moriens non dixerit quid deberet, cùm fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater eius in somnis, & vbi esset repositum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicauit. Quo inuento, iuuenis non solùm falsi debiti calumniam propulsauit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia. Hîc itaque putatur anima hominis curam gessisse pro filio, & ad eum venisse dormientem, vt docens quod ignorabat, à magnâ molestiâ liberaret.* Hæc Augustinus: qui familiariter ibi aliquamdiu præter sanctum Ambrosium, vsus est B. Simpliciani consuetudine, & sodalium eius, *Deo concinentium vocibus & cordibus*, & in monasterio conuiuentium, non secundùm certam aliquam normam, sed secundùm suammet ipsorum conscientiam. Hanc ob caussam venerabilis ille senex Augustinum rogauit, vt scripto sibi suisque traderet aliquam viuendi normam, quæ veterum monachorum viuendi consuetudini foret ac-

Lib. De curâ pro mor. cap. 11.

Lib. 9 Cōfess. cap. 7.

Sigebertus in Chron.

commoda: quod quidem Auguſtinus ei libens præſtitit:ac viciſſim Simplicianus & collegæ quibuſcum viuebat, continuò ſe Auguſtini Regulæ ſubiecerunt.

Capvt VIII.

S. Auguſtinus proficiſcens per deſerta Etruriæ, apud Eremitas ſubſiſtit. Item pueruli apud mare apparitio.

Arbitratvs autem Auguſtinus, in patriâ commodiùs Deo vacare ſe poſſe, matris precibus etiam accedentibus, Romam verſus itineri ſe accingit; & vale dicto amicis, in primis Simpliciano & Ambroſio, ab eiſq; benedictione obtentâ, proficiſcitur cum Alipio & Euodio per deſerta Etruriæ, quæ alij vocant Montem Piſanum. Quibus in locis cùm velut ſuauiſſimum odorem ſanctitatis percepiſſet Eremitarum illorum qui inibi morabantur, ad eos cupidè deflexit, inuenitque complures in eis partibus, quas Centumcellas vocabāt (erant autem centum Iudicum totidem cellæ, quas Adrianus Princeps ædificandas curauit ad audiendum ſe præſente cauſſas) ſanctimoniâ vitæ inſignes. Inter hæc ædificia iam diruta viuebant ijdem viri religioſi, qui Auguſtinum doctrinâ & ſanctitate multò ſibi antè notum (vt ſuprà ex Petrarchâ

B. Iordanus lib. 1. Vitasfr. cap. 14. P. Ribadineira in Vitâ.

Plin. lib. 2. Epiſtolar. P. Bergomenſis l. 11 Supplem. Volater. & alij.

châ & aliis demonſtratum eſt) amictum veſte religioſâ, ſimiliter & ipſi veſtibus induti monaſticis, honore magno receperunt. Qui talium virorum conſuetudine, ſuæ non abſimili, multùm delectatus, longiores apud eos moras traxit; vt Martinus Quintus[a], Gerſon[b], & Mantuanus[c] de eodē teſtatur: loquens enim de S. Auguſtino, ait:

[a] Serm. de Tranſlat. S. Monicę.
[b] Serm. de Circumciſ.
[c] Lib. 8. De ſacris diebus.

——— *memoratur eremum*
Incoluiſſe maris Thuſci prope littora centū
Cellarum, quà vicus erat, Tyberina petiuit
Oſtia. ———

Vacabat hîc meditationi, commentationi, & librorum, præſertim de ſanctiſſimâ Trinitate, ſcriptioni. In cuius myſterij profunditatem raptus cùm aliquando circa littus verſaretur, ferunt ei puerulum apparuiſſe, cochleari conantem mare totum exili includere alueolo: ad quem cùm Auguſtinus, velut puerile & impoſſibile ſubrideret, puer magis impoſſibile reſpondit eſſe, immenſum mare myſteriorum Dei, adeoque ſanctiſſimæ Trinitatis immenſitatem ambitu humani ingenij, quantumlibet capacis, arctare. Quare hoc ſublimi opere tunc intermiſſo, totum ſe ſanctitatis exercitiis, vnà cum collegis & Eremitis ibidem dedit: *Simul*, ait, *eramus, ſimul habitabamus, placito ſancto remoti à turbis.*

Volaterranus.

Lib. 9. Cōfeſſ. cap. 8. & 10.

Licent. Epiſt. 39. apud D. Auguſtin.

CA-

CAPVT IX.

S. Augustinus Diuorum reliquias, & cœnobia sanctorum Romæ inuisit.

OPPORTVNITATE verò oblatâ in Africam renauigandi, quoad potuit hosce religiosos Eremitas in sanctioris vitæ proposito confirmauit, & vt ne de primo spiritus feruore remitterent, admonuit; Episcopum enim Ephesi maledictioni obnoxium fuisse, quòd charitatem primam reliquisset: pergerent potiùs in dies, vt perfectionis religiosæ præstantiam assequerentur. In quem finem eis quoque Apostolicam viuendi regulam dedit. Ac non ita multò pòst Romam allapsus, cum matre sociisque fratribus, Diuorum reliquias, ac loca sacratiora, frequens ac venerabundus inuisit. Ibi etiam vsque ad sequentis anni tempus nauigationi commodum diuersatus, complura vtiliter scripsit, vt ipse fatetur: *Romæ cùm essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum iactantiam, de falsâ & fallaci continentiâ vel abstinentiâ, quâ se ad imperitos decipiendos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, vnum De moribus Ecclesiæ Catholicæ, alterũ De moribus Manichæorum.* Scripsit & Dialogum de animâ, item librum

Apoc. 2.

S. Antonin. par. 3. t. 24. Aeneas Siluius ætate 6.

S. Augustinus Diuorũ reliquias, & loca sacra Romæ inuisit.

Lib. 1. Retract. cap. 7. 8. & 9.

brum De libero arbitrio, cuius secũdum & tertium in Africâ Presbyter absoluit. In eodem libro De moribus Ecclesię Catholicę, quæ Romæ obseruauerit sanctorum virorum collegia, magnâ cum voluptate sic describit: *Romæ etiam plura cognoui* (diuersoria sanctorum) *in quibus singuli grauitate atque prudentiâ, & diuinâ scientiâ præpollentes, ceteris secum habitantibus præsunt, Christianâ caritate, sanctitate & libertate viuentibus. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus (quod est vsquequaque vsitatissimum) sed continuum triduum vel ampliùs sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, sed etiam in feminis; quibus item multis viduis & virginibus simul habitantibus, & lanâ ac telâ victum quæritantibus, præsunt singulæ grauissimæ probatissimæq́, non tantùm in instituendis componendisq́ moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ. Atque inter hæc nemo vrgetur in aspera quæ ferre non potest, nulli quod recusat imponitur: nec ideò condemnatur à ceteris, quòd in eis se imitandis fatetur inualidum.* Hæc ibi Augustinus. Hunc viuendi morem vt vidit, vehementer approbauit, & ad imitandum exarsit. Didicit insuper, plebem Romanam tribus

Cap. 33.

Epistol. 85. ad Casulanum.

tribus hebdomadæ diebus, nimirum, feriâ quartâ, feriâ sextâ, & Sabbato (quod in patriâ deinceps est imitatus) solere ieiunare.

CAPVT X.

S. Augustino in Africam nauigaturo, D. Monica in Ostijs Tyberinis moritur, rogans sui memoriam ad altare fieri.

HIC itaque cùm hiemem traduxisset, opportunâ nauigatione factâ, descendit ad Ostia Tyberina: vbi dum ventum opperitur in Africam nauigantibus idoneum, quadam die ipse & mater eius Monica incumbentes soli ad quamdam fenestram, vnde hortus prospectabatur, colloquebantur valdè dulciter de futurâ vitâ Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: *& inhiabant ore cordis pariter in superna fluenta vitæ: vilescebatque adeò eis inter verba mundus iste cum omnibus delectationibus suis, vt præ illius vitæ iucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione quidem dignus videretur.*

Lib. 9. Cõfess. c. 10. & 11.

D. Monica morti vicina pro animæ suæ refrigerio post mortem offerri preces rogat.

Præsentiens verò Monica, mortem sibi imminêre, *Ponite*, inquit, *hoc corpus vbicumque; nihil vos eius cura conturbet: tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis.* Exoptabat namque san-

ctissima

ctissima femina id sibi exhiberi, quod nouerat auitâ consuetudine seruari in Ecclesiâ Catholicâ, vt nimirũ in sancto Missæ sacrificio, cùm Sacerdotes, tum alij qui eidem interessent, pro Defunctorũ salute Deo preces offerrẽt. Et post nõnulla: *Illis* (prosequitur Augustinus) *stupentibus virtutem feminæ, quærentibusq́; vtrùm non formidaret tam longè à suâ ciuitate corpus relinquere? Nihil,* inquit, *longè est Deo, neq; timendum est ne ille non cognoscat in fine sæculi, vnde me resuscitet. Ergo die nono ægritudinis suæ*, LVI. *ætatis suæ*, XXXV. *ætatis meæ, anima illa religiosa & pia corpore soluta est*, quarto Nonas Maij, receptura præmium immortalitatis in cælo, quod piè hîc viuendo meruerat. Decuit namque ipsam voti compotem effectam baptizato filio, vnà cum Angelis, quibus est gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, in cælorum regno gaudere, & in Romano littore potiùs, quàm in Africâ relinquere sacri corporis exuuias: quas deinde Romam apportatas, Ecclesia Romana dignis prosequeretur honoribus, & cum Vrbe orbis totus in eiusdem filij cœnobio veneraretur. Persoluit nihilominùs Augustinus iusta animæ matris suæ, more videlicet Christianorum, quo, vt ait, consueuit, antequam corpus inferatur

Lib. 9. Cõfess. cap. 12 Vide & lib. De curâ pro mortuis cap. 2. & Enchirid. cap. 90. &c.

feratur ſepulcro, pro animâ offerri ſacrificiũ Corporis & Sanguinis Chriſti; quod dicebatur pro delictis fieri hominis defuncti; ſcilicet ne à contrariis poteſtatibus anima detineretur. Quantopere autem luxerit mortem matris, eiuſce verbis viſum eſt ſubijcere: *Premebam oculos eius, & confluebat in præcordia mea mæſtitudo ingens, & transfluebat in lacrymas, ibidemq́ oculi mei violento animi imperio reſorbebant fontem ſuum, vſque ad ſiccitatem. Et in tali luctamine valdè malè mihi erat, neque decêre arbitrabamur funus illud queſtibus lacrymoſis gemitibuſq́ celebrare: quia his plerumque ſolet deplorari quædam miſeria morientium, aut quaſi omnimoda exſtinctio. At illa nec miſerè moriebatur, nec omnino moriebatur: hoc & documentis morum eius, & fide non fictâ rationibuſq́ certis tenebamus. Quid ergo erat quod intus mihi grauiter dolebat, niſi ex conſuetudine ſimul viuendi dulciſſimâ & cariſſimâ repentè diruptâ vulnus recens? Gratulabar quidem teſtimonio eius, quod in eâ ipſâ ægritudine vltimâ obſequijs meis interblandiens, appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu, numquam ſe audiuiſſe ex ore meo iaculatum in ſe durum aut contumelioſum ſermonem. Sed tamen quid tale Deus meus qui feciſti nos, quid comparabile*

parabile habebat honor à me delatus illi, & seruitus ab illâ mihi? Quoniam itaque deserebar tam magno eius solatio, sauciabatur anima mea; & quasi dilaniabatur vita, quæ vna facta erat ex meâ & illius.

CAPVT XI.

D. Augustinus venit in Africam, patrátque ibi miraculum.

IGITVR cùm Christiano ritu matri parentasset, factâ nauigatione, Carthaginem appulit, ibique susceptus est hospitio ab illustri viro Innocentio, exaduocato vicariæ præfecturæ, per id tempus grauiter ægrotante. Quod autem miraculum patrauerit clementissimus Deus Augustini intercessione, visum est commemorare: *Venientes*, scribit, *de transmarinis me & fratrem meum Alipium, nondum quidem Clericos, sed iam Deo* per Religiosæ vitæ obseruantiam *seruientes, vt erat cum totâ domo suâ religiosissimus ipse, susceperat, & apud eum tunc habitabamus.* Cui eidem Innocentio affecto grauissimis doloribus vlcerum manantium ac sinuosorum (quæ numerosa atque perplexa habebat in imâ corporis parte, & Medici fistulas appellant) iamque tremendis ferramentis secando, ac inter Medicorum manus se moriturum vix dubitanti,

Lib. 22. De ciuit. cap. 8.

Miraculũ.

bitanti,

bitanti, *genua figentibus ex more, atque incumbentibus terræ* Augustino & sodalibus, orationemque breuissimam quidem, sed affectu calido fundentibus, ex insperato salus integra diuinitus est restituta.

CAPVT XII.

D. Augustinus monasticum institutum ex Italiâ infert in Africam, ibidemq́ exercet constructo tuguriolo.

INDE cum Alipio & Euodio, boni ominis comitibus (prior à tristitiæ absentiâ seu indolentiâ, posterior à boni odoris fragrantiâ dictus videtur) natale solum reuisens, monasticum vitæ statum (prout inter eos conuenerat, dum in Italiâ degerent) exercere cœpit, secedens non procul à Tagastâ, ibidemque rure triennium permansit. Principio enim reditus sui in patriam, quod ex facultatibus parentum supererat, diuendidit Augustinus, & ex eo partem quidem dedit Christi pauperibus, parte verò alterâ sibi sociisque tuguriolum in eremo construxit, & ibi cum fere centum religiosis fratribus vitam Monachi traduxit: quam multis parasangis dicit antestare libertati Clericorum, qui inter sæculares degunt. *Hos*, enim, *agere vbi viuere discitur, illos vbi viuitur*. In quibus autem pietatis officiis

q. ἀλύπιος.

Baron. t.4 ann. 389. & t.5. 395. Theatrum vitæ hum. T. de ijs qui vitam Eremiticã sunt amplexi. Ribadineira. Sigebertus Epistolâ ad Maced. Marian. in Regulam S. August. Volater. commẽtar. de Anthropologiâ. Aeneas Siluius, &c.

officiis se potissimùm exercuerit, refert Possidius: *A se iam alienatis curis sæcularibus, cum eis qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, bonisq; operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte; & de ijs quæ Deus sibi cogitanti atque oranti intellecta reuelabat, & præsentes & absentes sermonibus ac libris docebat.* Ceterùm toto illo triennio religiosus, verùm laicus, Deo feruentissimè seruiuit: ac sub medium triennij quo in eremo est commoratus, scripsit, Baronio teste, librum De Magistro; duos autem contra Manichęos De Genesi: absoluit prætereà libros De Musicâ, & addidit Commentarium aduersus Manichęos De verâ Religione. Quare illud Isaiæ 43. illustre vaticinium, *Glorificabit me bestia agri, dracones,* (secundùm LXX. Interpretes, *sirenes, benedicent mihi)* fecit vt de se quoque, si de alio quopiam, dictum videri posset: voluptatum enim blanditiis ante delinitus, postmodum asperitatem crucis Christi in Euangelio commendatam est amplexus; & qui apud plerosq; mortales inanis sapientiæ nomine tumefactus, omnia ad ingenitæ rationis lumen, ac philosophiæ velut perpendiculum exigenda ratus fuit, intellectum quasi captiuum tradendo, crucem gentibus stultitiam cum Apostolo est

D. Augustinus ex dracone siren.

 secutus:

ſecutus: adeoque ex dracone ſeu fidei obtrectatore in ſirenem tranſijt; dum vitæ ſanctimoniâ, piis meditationibus, iugi oratione, & in primis verbi diuini prædicatione, tamquam ſuauiſſimis vocibus, eadem fidei myſteria quæ priùs reſpuebat, cecinit: quo ſimul concentu, (longè aliter quàm ſirenes illæ, quæ in bonorum & vitæ naufragium incautos pelliciebant) plurimos mortales ad ſalutem æternam pertraxit. Ad quam vt ipſe, compluresque alij; velut ingenti meritorum mercè ſecuriùs peruenirent, cœnobiticæ militiæ vexillum (ſub quo iam antè militabat) Dei impulſu nouum ibi erexit. Eſt enim illa in opportunitate adiutoris Dei benignitas, vt Eccleſiæ hæreticorum furoribus oppugnatæ, quouis æuo de nouo duce, deque nouâ Religioſorum hominum ſocietate prouideat; ac deficiente vno, repentè ſufficiat alterum: vt pænè noſtro ſæculo factum videmus; quo cùm peſtilentiſſimorum ſectariorum extrema debaccharetur in Catholicos inſania, peropportunè de inani militiâ ſæculi huius, ad ſpiritualis vitæ militiam traduxit B. Ignatium Loyolam, qui lectiſſimos milites in vnum ordinem religioſum coëgit, verbo & exemplo Catholicam fidem ſtrenuè defendentes, adeoque planè diuerſo hære-

Quouis æuo Eccleſiæ ſuæ Deus ſufficit duces nouos cōtra nouos hoſtes

Societas IESV.

hæreticis more, in Romani Pontificis verba iurantes. Sic cùm Albigenses pacis turbatores Ecclesiam Christi depopularentur, tum veluti de cælo submissi fuêre duo præstantissimi duces Franciscus & Dominicus, qui stupendâ vitæ sanctimoniâ doctrinaque, cùm per se tum per sui imitatores opem mundo laboranti attulêre. Sic denique, vt ad institutum redeamus, DCC. circiter annis antè, cùm grassarentur hæreses Arij, Manis, Pelagij & Donati, in tantum vt diuorum Pauli, Antonij, & Hilarionis sectatores, in absurdos errores, præsertim Origenis prolaberentur, instigante in primis Euagrio, homine malitiosissimo, submissus est Ecclesiæ laboranti in auxilium D. Augustinus, tamquam dux inuictus, qui & Religiosus esset, & religiosi cœtus existeret institutor, qui errantes ad veritatem reuocare doctrinâ suâ posset, qui hæreticorum audaciam reprimere, eosque scriptis conuincere, qui veros Catholicos ad maiorem sanctitatem inflammare valeret, qui deinde lapsis emendationem vitæ persuadere posset, ac orbem vniuersum ad auream primitiuæ Ecclesiæ excellentiam reducere conaretur, & suo & collegarum exemplo non antè in Africâ vsitato.

DD. Franciscus & Dominicus strenui Ecclesiæ duces.

Baron. anno 388.

CAPVT XIII.

S. Augustinus ad interiora deserti secedit, Sacrarum literarum lectioni penitus vacat, & Christum hospitio recipit.

CVM sanctimoniæ ac doctrinæ fama Augustini per Africam longe lateque propagaretur, non pauci mortales consolationis ergô & consilij, de rebus fidei ad eum referebât. Quod cùm non mediocriter religiosam eius quietem interturbaret, à priore loco quem incoluerat, secessit ad interiora eiusdem deserti, prope montem quemdam asperum, qui duo millia passuum inde aberat, quo difficilior aditus ad eum esset. Quem etiam velut antesignanum sunt prosecuti religiosi Fratres, destitui nolentes tanti viri præsentiâ, ac circumcircà veluti castra metantes, omni sanctitate refulsêre: quos identidem Augustinus ipse visitans in Deo animauit, & spiritualibus deliciis refecit. Hoc in loco eorum ferè quotidianum erat exercitium, frequentes preces, diuinarum rerum contemplatio, & S. Scripturæ lectio, *quæ diuinæ est pars & præcognitio non parua beatitudinis. In his quasi in quodam speculo homo seipsum considerare potest qualis sit, vel quò tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ,*

Sigebertus & Volater. suprà.

Rerum diuinarum commentatio vtilis.

Serm. 112. De temp.

henna, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio SS Scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, siue quia à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multis ad emendationem animi proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutritur & pascitur, sicut ait Psalmista: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo. Sed & ille beatissimus est, qui diuinas Scripturas vertit in opera.

Inter hæc pietatis exercitia, etiam hospitalitatem quoad potuit beneuolentissimè semper exhibuit; adeò vt etiam domicilio ac cellulâ hospites exciperet, memor in eis se Christo ipsi ministrare. Vnde referunt D. Prosper & Ferdinandus ab Hispaniâ, Ioannes Mabumeus, & alij, contigisse Augustino, quod paucis mortalium euenisse legimus. Cùm enim die quadam in meditatione rerum diuinarum exardesceret, fores cubiculi, in quo tum erat, pulsauit hospes quidam, longo, vt videbatur, itinere penè confectus: quem Augustinus pro suo in

Prosper & Ferdinan. Serm. de S August. Mabum. in roset. t. 20. alphab. 47.

in Deum proximumque amore, misericorditer amplexatus, sedere iussit, pedesque eius magnâ cum animi demissione lauit, & pro amore suo fuit deosculatus. Quâ humanitate exhibitâ, peregrinus se detexit, & velut gratias reddens, ei dixit; *Magne Pater Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti; tibi cõmendo Ecclesiam meam.* Quo dicto, statim disparuit, & D. Augustinus non mediocriter attonitus, pro tantâ familiaritate, tamque manifestè receptis ab eo beneficiis, copiosè gratias egit.

CAPVT XIV.

S. Augustinus Hipponem venit construendi Monasterij caussâ, ibique, licet inuitus, Sacerdotio initiatur.

Baron. t.4. anno 389. & ann. 391.

CVM autem tam religiosæ conuersationis odor longiùs se diffunderet, adeoque Synercmitarum numerus in dies accresceret, ex eremo perrexit Augustinus Hipponem (quæ nunc Bona dicitur) vt cum Patritio quodam vrbis ciue tractaret de monastico instituto & monasterio, cuius spem adipiscendi hic ei fecerat. Erat autem vir locuples admodum, incensus Augustinum videndi desiderio, quòd ex eius ore diceret audire se velle consilia Euangelica, dein se suaque bona omnia Deo consecra-

P. Ribadeneira in Vitâ S. P. Augustini.

ſecrare. Nec Auguſtinum res ea latebat, qui modis omnibus hominem ad ſuum cœnobium pertrahere nitebatur. Quod vbi rumor ſparſit, Catholici Hipponenſes, quibus de inſigni eius eruditione conſtabat, cùm forte auditoribus (Valerio vrbis Epiſcopo de prouidendo ciuitati Parocho verba faciente) aſtaret Auguſtinus, eum nihil tale ſuſpicantem, quantumuis reluctaretur, ſacra quadam vi (qui mos obtinebat eo tempore) tenuerunt, & eumdem Antiſtitem, vt ſacerdotio vellet Auguſtinum initiare, rogauerunt, quod & fecit Valerius, & Auguſtino mox initiato ſuam Eccleſiam beneuolo affectu credidit; quòd vir ætate grauis, & Latini ſermonis imperitior non ſemel Deum rogauerat, vt talem adiutorem Epiſcopalis officij nanciſceretur. Auguſtino verò penitus è diuerſo res ea grauiſſima viſa fuit: nam periculi plenam præfecturam non ignorabat, ideoque plurimum lacrymabatur, quòd tam repente tamque impræmeditatò ad eam dignitatem Eccleſiaſticam perueniſſet; cùm antè deditâ operâ conſueuiſſet vitare loca ſeu eccleſias, vbi vel minimum periculum acquirendi huiuſcemodi muneris impenderet: *Locus enim*, ait, *ſuperior, etſi ita teneatur & adminiſtretur vt decet, tamen indecen-*

Poſſid. c. 2. 4. & 5.

Auguſtin. Epiſt. 225. ad Albinã.

Auguſtin. Epiſt. 148. ad Valeriũ.

Lib. 29. De Ciuit. c. 19.

Honores nullatenus ambiendi.

center appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit caritas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatem caritatis. Hanc sibi impositá deprecatur apud Valerium, obsecrans vt patiatur se precibus ac studio in suo secessu vacare, donec imposito muneri idoneus reperiatur: affirmatq́ue *nihil esse in hac vitâ difficilius, laboriosius, periculosiúsque Ecclesiastico officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo Imperator iubet. Quis autem*, inquit, *iste sit modus, non didici: & eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum (nam quid aliud existimem, nescio) vt secundus gubernaculorum locus mihi traderetur, qui remum tenere non noueram. Et hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in ciuitate (* videtur ex eremo ista scribere*) ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animaduerterunt, quòd periculosissimum iudicarem hoc ministerium.* Suo verò iudicio se ratus imparem tanto officio, addit: *Iubes ergo vt peream, Pater Valeri? vbi est caritas tua? Quid responsurus sum Domino Iudici? Miserearis mei.*

Epist. 148. ad Valer.

NOTA.

Periculosa præfecturæ, præsertim dum ambiuntur.

CA-

CAPVT XV.

S. Augustinus Presbyter factus Monasteria construit, Fratribusq; Regulam scribit ad viuendi modum Apostolicum rectißimè compositam.

PLVRA nequidquam dicit in hunc sensum: nam nolens volens hoc onus Ecclesiasticum suscepit, & suos in solitudine collegas deserere est coactus, quos tamen & sæpenumerò reuisit, simulque ac sacerdotio est insignitus, Monasterium in horto ciuis illius Hipponensis, propter quem ex eremo istuc venerat, ædificauit: quo in loco ipse sacris initiatus, cum eiusdem voti & S. Ordinis sodalibus, optimis à sese conditis legibus, vitam attemperauit. Et antea quidem propè Tagastam, sicut & in Italiâ, Apostolicam viuendi methodum sine proprio, in castitate, & voluntariâ obedientiâ obseruârat; sed citra Regulam, vt aiunt, scriptam vel Ecclesiasticâ auctoritate approbatam; quâ Regulâ in Hipponensi monasterio primùm fuit vsus. Poterat enim tunc minor numerus faciliùs regi, ideoque priuatâ seu publicâ monitione Augustinus ad suos vtebatur, quemadmodum ad filios pater, adque discipulos magister habet: erat enim Augustinus etiam tum laicus, & laici

Possid. c. 5. Vitæ Augustin. ser. 49. De com. vitâ Cleric.

hi quibus præerat: nec enim tunc in more erat, vt Religiosi promiscuè sacris Ordinibus initiarentur, vt patet cap. A Subdiacono, & 16. q. 1. c. Generaliter. At multitudine crescente, & se per plura monasteria diffundente, rationi fuit consonum, has leges scripto mandari: quod reapse præstitit, componens exaransque sui sequacibus Dei seruis auream viuendi Regulam, cuius hoc est initium: *Ante omnia, fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus.* Hæc est prima & princeps illa Regula, quæ dilapsam Apostolicæ communionis obseruantiam, in Ecclesiam postliminiò reuocauit. Hæc, inquam, quæ modum perfectè Deo viuendi docet: hæc eadem ex intimâ medullâ Apostolicæ perfectionis desumpta, auxilio fuit deinceps D. Benedicto atque ceteris Ordinum religiosorum auctoribus, qui non pauca ex D. Augustini Regulâ in suas leges transtulêre: estque hęc eadem viuendi norma visa omnibus cùm modesta & religiosa, tum percommoda & obseruatu facilis, quando nec nimis arcta suis præcipit, neque rursus nimis laxa permittit. Quam propterea complures sacri Ordines sunt amplexi, qui omnes D. Augustinum pro parente suo Principeque, necnon eiusdem Regulæ conditore, lubentes agnoscunt; vt testatur P. Ri-

B. Iordan. lib. 3. Vitas-fra. c. 3.

Regula D. Augustini ex medullâ Apostolicæ perfectionis desumpta, aurea, temperata, facilisque est.

P. Ribadineira, Vincentius Bellouacensis, Ambrosius Coranus, Nicolaus ab Alexandriâ, Hugo à S. Victore, D. Bernardus, & ceteri. Confirmat id denique Ordo candidus apud L. Surium 6. Iunij, in Vitâ sancti Norberti, *cui de Regulâ studiosiùs indaganti B. Augustinus corporali specie apparens, auream Regulam à dextro prolatam latere porrexit, seq; luculento sermone ei intimauit, dicens: Quem vides, Augustinus ego sum, Hipponensis Episcopus: ecce habes Regulam, quam ego scripsi, sub quâ si benè militauerint confratres tui filij mei, adstabunt securi in extremo iudicij terrore.* Fuit id fortè etiam præsignificatum, quando Monica longè ante conuersionem, filium suum Augustinum stantem vidit, non in horto humíve, aut pergulâ vnâ aliquâ, sed super regulâ ligneâ; quasi demonstraretur eum sacris mysteriis Catholicorum initiatum, monasticam vitam, & Regulam sanctioris vitæ aliis esse daturum.

In Vitâ S. Aug.
Li. 19 c. 44
In defens.
In recopil.
Lib. de præcept. & dispens.
In Appen. Vitæ sancti Norberti, cui diuus Augustinus apparens auream porrigit Regulam.
Securi erũt in iudicio obseruatores Regulæ S. P. Augustini.

Hanc Regulam, vtpote ab ipsomet Augustino conditam agnoscit, suaque auctoritate dat Ecclesia, eademque pro tali passim ab omnibus recipitur, ac sub ipsius Augustini nomine distinguitur per varias periodos in Decretis, 12. q. 1. c. Non dicatis. c. Nolo. c. Certè, &c. atque adeò Pontifices

Quinquaginta circiter Ordines militant sub Regulâ S. Augustini.

fices & Scriptores Romani mentionem eiusce facientes, D. Augustini Regulam vocant. Hanc eamdem quinquaginta circiter religiosæ familiæ etiamnum hodie sequuntur. Quamobrem optimo iure de eodem

Ecclef. 50.

sanctissimo Præsule canitur: *Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in Libano.* Famosissimum olim erat Homeri sepulcrum, in cuius circuitu septem vrbes incrant sculptæ, quæ de eius natali decertabant solo; vnde illud tritum:

Franciscus Ardentius.

Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

At sanè illustrius est S. Augustini monumentum, circa quod non decertantes inter sese, at gloriātes potiùs de tam insigni Principe, reperiuntur quinquaginta circiter Religiones, quæ parentem suum vndique coronant, tantâ Sanctorum frequentiâ, tot virorum celebrium multitudine, tot infulis sacrisq; vestibus (habitus vocant) Christi Seruatoris, ac sancti Spiritus diuorumq; Ioannis, Iacobi, Lazari, Stephani atque plurium, qui suis (vt ita loquar) signis regiis atque armis distincti, tum ducem suum Augustinum, tum seipsos nobilitant. Qui etiam velut in triumphū prodeuntes, Medio-

diolani apparuère B. Veronicæ Augustinianæ, in monasterio S. Monicæ virgini Deo sacræ, teste Isidoro de Issolanis Dominicano, his ferè verbis: *Diuus Pater Augustinus Pontificio habitu ornatus, inter S. Nicolaum Tolentinatem & Guilielmum sacerdotali more indutos procedebat, mitrâ plurimo auri, gemmarum, & lapillorum pretiosorum splendore coruscante, ædiculam auream incredibili ornatu manu gestans. Hos primùm sequebatur Eremitarum numerus copiosus, deinde Canonici regulares albis vestibus induti, post quos turba magna diuersorum Religiosorum, sub diuî Augustini ductu militantium.*

Lib. 5. De Vitâ S. Veronicæ.

Visus S. Augustinus cũ ingenti turba sub ipsius ductu militantiũ Religiosorum.

CAPVT XVI.

Veneranda Ordinis Fratrum Eremitarum diui Augustini antiquitas, & approbatio.

EST hinc cuiuis procliue dispicere genuinam D. Patris Augustini sobolem; adhæc ipsius Regulæ & Eremitarum Augustinianorum venerandam antiquitatem: cui tamen quidam non rectè detrahere conantur propter approbationem Romanorum Pontificum, quam posteà tantummodò secutam fuisse arbitrantur: atque ex eo nituntur colligere, sub annum Dominicum M. CC. L. vel M. CC. XL. Pontificibus Alexandro vel Innocentio IV. Ordinem Ere-

Eremitarum cœpisse. Verùm multò est antiquior hæc Augustiniana sodalitas, quæ in hodiernum vsque diem perseuerat. Illud enim posteriorum quorumdam Pontificum diploma ab hinc paucis retrò sæculis, potiùs fuit approbatio diuersarum congregationum, vt vocant, sub vno Capite, quàm vel Regulæ vel Ordinis ipsius prima confirmatio: quæ, adhuc viuente Augustino, facta est per Valerium Hipponensem Episcopum, qui in eiusce rei finem de horto suo perbenignè Augustino & sociis eius accommodauit. Poterat namque quiuis Episcopus, iuxta Concilij Chalcedonensis c. 4. declarationem, circa annum Domini CCCC. LI. nouam Religiosorum societatem approbare. Comprobata insuper fuit anno CCCC. II. ab Innocentio I. Sixto III. Leone I. & aliis subsequentibus Pontificibus, qui eam variis priuilegiis honorarunt: &, vel hac ratione, iuxta Gersonium, sufficientem approbationem præstitêre; quę tamen expressa per id tempus necessaria non erat. Vnde Bellarminus de monachis agẽs, *Antonius*, inquit, *Basilius, & Augustinus, auctores Religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quæsiuisse, propterea quòd nondum extaret ius Ecclesiasticum id præcipiens.* Fuit tamen in Concilio

Sub annum 452. Henricus de Vrimariâ. Iordanus de Vitisfrat. lib. 1. cap. 19. Illesca li. 2. cap. 9 Opuscul. con. impugnat. Carthus.

Lib. 2. c. 4.

cilio Lateranensi sub Innocentio III. anno M.CC.XV. propter eos quos vocabant Pauperes de Lugduno, rursus Ordo noster approbatus. Ideoq; Pontifex Innocentius ante suprà dictum Concilium Lateranense de hoc Ordine approbato, sentiens ac loquens lib. 1. Epistolarum, Priori cuidam Augustinianorum imperat, vt declaret excommunicatum Archiepiscopum Cantuariensem, eò quòd Priorem quemdã Augustiniani item Ordinis, post appellationem ad Sedem Apostolicam excommunicationi subiecerat. Et lib. 2. Epistolarum literis ad Episcopos Olyssiponens. & Conimbricensem anno M.C.XCIX. circa Kalend. Decembr. datis, præcipit vt cogant feminam quamdam, habitum S. Patris Augustini resumere, quòd in manibus cuiusdam Eremitæ Augustiniani castitatis votum emisisset. Diuus Antoninus asserit hanc propaginem ab ipsomet Augustino deductam, sine interruptione in sacrà quadam simplicitate permansisse, etiam ad hoc vsq; Concilium Lateranense, in quo neutiquam fuit Ordo approbatus, vtpote qui iam floreret. Quinimò circa annum Domini M.CC.LXXIV. Gregorius X. & Bonifacius VIII. cùm Religionum multitudinem nouarũ inhibuissent, ac declarassent suam Constitutionem

Lib. 2 Epistola ad Episcopos Olyssip. & Conimbric. dat. a. 1199. Kal. Dec.

3 p. t. 24. cap. 13.

ad alios Mendicantes non extendi, Ordinem Eremitarum S. Augustini voluerunt *in solido* (vel vt alij legunt) *in suo*, aut *solito statu permanere: quòd Generale Concilium Lateranense illius institutio præcesserit*. Ex vetustissimis item & certissimis ipsius Ordinis monumentis apparet, huius nonnulla cœnobia ante Innocentium III. fundata fuisse; vti Londinense in Angliâ, an. M.LIX. In Hispaniâ Burgense, anno M.C.XLIV. Salmanticense, anno M.CC.II. In Galliâ Narbonense, an. M.CC.XX. In Germaniâ Coloniense, anno M.C.LXV. Quin & Adelheida soror Hildegardis Reginæ, quæ Carolo Magno nupserat, trucidata ab Hunnis mariti & filiarum corpora, sepeliuit in Buchouiensi Augustiniano monasterio, quod pro suo in Eremitas affectu ędificauerat; sicut & aliquamdiu pòst anno M.XLII.
Vide infrà Lib. 3. c. 71.
Canutus Angliæ Rex, allato Papiâ brachio S. Patris Augustini, multa in illius honorem monasteria per eam regionem construxit. Martinus quoque Nauarrus perhibet, D. Aurelij Augustini tempore fratres Eremitas fuisse, qui Institutoris sui Regulis vitam attemperarunt. E Bullâ denique Indulgentiarum Corrigiæ, à Leone X. circa annum Domini M.D.XII. II. Iulij editâ, clarè deducitur, hunc Ordinem ante annos

Tract. 2. de Regul. com. 4. n 9.

nos

nos circiter M.CC. fuisse approbatum, & à B. Augustino institutum. *Et cùm inter Regulas*, ait B. Iordanus, *approbatas antiquitus, & in Decretis canonizatas S. Augustini, Basilij, & Benedicti, clarum quidem sit Regulam S. Benedicti longè aliis duabus tempore posteriorem esse; illarum tamen duarum, quæ alteram præcesserit, non est vsquequaque notum, cùm quasi contemporanij fuerint S. Basilius & S. Augustinus, licet ille paulùm fuerit ætate maior.* Lib. 3. Vitasfrat. c. 3.

CAPVT XVII.

Quibuscumque potest, auctor fit vt monasticum suscipiant institutum, quòd ex eo Ecclesia percipiat ingentia commoda.

ANIMADVERTERAT idem sanctissimus Pater, hanc viuendi rationem monasticam signum esse non diuinæ prædestinationis tantùm, verùm etiam præcipua incrementa Ecclesię, velut ex Martyrum sanguine, sic è religiosâ posse vitâ profluere. Hic enim crebra ieiunia, viuendi austeritas, praurum affectionum victoria, aliaque id genus exercitia pia, cruenti vicem testimonij subeunt. Quamobrem ardentiori quantocyùs studio perfectionem hanc Euangelicam amplexus Augustinus, complures habuit suæ institutionis sequaces; quos ipse *Monastica vita compendia.*

D. Augustinus omnes ad Religiosum institutum, tamquam ad rem maximi ponderis cohortatur.

Epist. 84. q 4.

viciſſim ad eam tamquam rem maximi ponderis eſt cohortatus: ſic enim in Epiſtolâ, quam ſcribit ad Hilarium: *Ego qui hoc ſcribo, perfectionem de quâ Dominus locutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti, Vade, vende omnia quæ habes, &c. vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratiâ ipſius adiuuante ſic facio; & ad hoc propoſitum, quantis poſſum viribus, alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt.* Perſuaſit id pluribus, ac in primis nobiliſſimæ virgini Demetriadi, quæ dote ſuâ in pauperes collatâ, monaſticam eius inſtinctu vitam & habitum eſt profeſſa. Ita enim gratulabundus Iulianæ matri eius ſcribit: *Miniſterij noſtri, adiuuante gratiâ Saluatoris, domi noſtræ tantus fructus exortus eſt, vt humanis nuptiis iam paratis, S. Demetrias ſpiritualem ſponſi illius præferret amplexum, cui ſpecioſo præ filiis hominum, ad habendam ſpiritus vberiorem fecunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem, virgines nubunt. Gaudeat itaque puella nobilis genere, nobilior ſanctitate; quòd ſit per diuinum conſortium præcipuam in cælis conſecutura ſublimitatem. Eſt enim vberior felicitas in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. Imitentur eam multæ*

Epiſt. 143. *B. Demetrias ſuaſu D. Auguſtini ſæculũ ſpernens Chriſto nubit.*

Ingens Religioſæ caſtitatis compendium.

multa femina, &c. Simili ardore persuasit Fratri Leoto perseuerantiam, quem diabolica quædam vexatio pænè præcipitem retroegerat, vt ea quæ reliquerat in sæculo bona recuperaret. His autem verbis ad eum vtitur: *Si te Christi tironem profiteris, castra ne deseras, in quibus etiam ædificanda turris Euangelica. In eâ stantem, & sub armis verbi Dei militantem, nullâ ex parte penetrare vllæ tentationes valent.* Et postquam quæsiuiet ex eo, an fortasse mater è monasticis hibernis commemorando labores quos pertulisset, eum reducere vellet: *Hunc*, addit, *carnalem affectum in nobis militia Christiana vt perimamus hortatur. Habeant hæc locum, vbi maiora non vocant. Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ. Hæc nos de Christo concepit, hæc Martyrum sanguine in sempiternam lucem parturiuit. Hæc mater toto orbe diffusa, tam variis errorum infestationibus agitatur, vt abortiui iam filij eius aduersus eam infestis armis belligerare non dubitent. Torpore etiam quorumdam quos gremio continet, membra sua frigescere plurimis locis, & fouendis paruulis minùs idonea fieri dolet. Vnde nisi per alios filios, quorum è numero es, iustum poscit auxilium? Huiúsne tu necessitates deserens ad carnalia matris verba conuerteris? Nónne hæc grauioribus* que-

Epist. 38.

Laboranti matri Ecclesiæ Religiosi potissimùm ferunt suppetias.

querelis insonat auribus? nónne hæc cariora viscera & cælestia vbera ostentat? Adde viri eius susceptionem carnis, ne carnalibus inhæreres, & à Verbo æterno, vniuersa quæ tibi mater improperat, ne his implicare, assumpta. Adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis. Talibus concepte seminibus, contabescis in veterem hominem? Itáne matrem terrenam non habebat Imperator tuus? Quæ tamen cùm nuntiaretur cælestia agenti, respondit, Quæ mihi mater, aut qui fratres? His potissimùm intende, carissime frater, & tolle crucem tuam, & sequere Dominum, his te affige clauis timoris Dei, &c.

Nullâ ratione Christi militia deserenda.

CAPVT XVIII.

Complures sibi S. Augustinus allegit, qui dein Patris sui institutum per vniuersum orbem propagant.

Lib. 9. Cõfess. cap. 8.

IS *qui habitare facit vnanimes in domo, consociauit Augustino Euodium, qui relictâ post Baptismum militiâ sæculari, se militia Dei accinxit*. Idem Euodius ad hæc Augustinianæ Religionis spiritualia castra inuitauit Alipium. Nam vt suprà retulimus ex cap. 22. De ciuit. Dei, Alipius & Euodius spreto sæculo indiuidui fuêre commilitones Augustini, etiam tunc cùm in Italiâ degerent. In his est etiam Possidius, qui Augusti-

Complures Augustiniani instituti sectatores.

gustino se conuixisse dicit in sancto proposito, annis ferè XL. nimirum annumerando tempus omne quo Possidius ei in eremo conuixit. Nam iuxta veriorem rationem, annis dumtaxat XXXVI. Episcopatum gessit. Videtur etiam D. Hilarius Arelatēsis Episcopus eidem in Religione conuixisse: nam cùm ad Episcopatum esset abreptus; *sufficiat* (scribit Augustino) *pœna mea, quòd à præsentiæ tuæ delicijs exulatus sim, vbi salubribus vberibus tuis nutriebar*. Vnde & ad eumdem Hilarium eremi deserta petentem librum scripsit Eucherius Lugdunensis, de laudibus Eremi. Etiam verisimile est, B. Paulinum Nolanum Antistitem collegam Augustini fuisse, qui mundo valedicens monasticamq; viuendi rationem amplectens, Alipio scribit: *Nos Deus in vestrâ sorte voluit numerari*. Idem saluere iubet suos coëremitas, qui in monasterijs Carthaginensi, Tagastensi, & Hipponensi degebant. Iam verò monachi habitu indutus, scribit ad. Augustinum: *Rege paruulum in terrâ reptantem, & tuis gressibus ingredi doce. Nolo enim in me tam corporalis ortus, quàm spiritualis exortus ætatem consideres*, &c. Eidem Augustinianæ Regulæ vitam attemperarunt D. Prosper Episcopus Rhegiensis, & pòst B. Fulgentius Episcopus

Cap. vlt. Vitæ.

Epist. 10. 7. libris de Prædestin. Sanct. præfixa.

Anton. Posseuin. in Hilario.

Epist. 35. & 31. apud Augustin.

Tom. 6. ann. 504.

Ruſpenſis, vt benè deducit Baronius: aſſerens, quotquot per ea tempora Epiſcopi vel ſacerdotes creabantur, fuiſſe quaſi omnes ex Auguſtinianâ Religione aſſumptos, quæ ſola tum in Africâ vigebat atque ex eo Religioſos, qui deinceps in orbis varias regiones ex Africâ deducebantur, fuiſſe Auguſtinianos, probat; quorum è numero, ait hunc D. Fulgentium, vnâ tunicâ cingulo coriaceo præcinctâ indutum ruri vitam egiſſe, iuxta Regulam ſancti Auguſtini.

D. Guilielmus Eremita Augustinianus

H.. r Sorbo in Compẽdio priu.l. fol 10. Trull lib. 1. Candn. Ord. c 13 & Guilh. Caual. c. 23 Gelaſin. in Martyrol 5. Idus Ian. Beda lib. 5. hiſt. cap 1. Tabulę Eccleſ. Neap. Paulus Regius in Actis. Baronius Martyrol. 28. Octob.

Hunc viuendi modum ſunt amplexi plures alij, quos inter ſub annũ M.C.LX. D. Guilielmus Aquitaniæ Dux, qui fuit Philippi Regis Hiſpaniæ decimus ſeptimus auus, ſecundùm rationem, quam init Caribaius in fine hiſtoriæ Regum Hiſpaniæ. Is Guilielmus, cùm aſperrimam vitam duceret, exemplo ſuo ductuque collapſum in Prouinciis trans Alpes hunc Ordinem reſtituit. Pertulit enim idem Ordo complures acerrimas vexationes à Donatiſtis, Arrianis, Circumcellionibus, Longobardis, Hunnis, Nortmannis, VVandalis, & alijs. Vnde non ita diu, captâ Hipponenſi ciuitate, multi Religioſorum Neapolim profugêre, monaſteriumque Niridanum prope illam ædificarunt. Floruerunt hic inter ceteros Adrianus Afer, in Angliam poſteà miſſus ad conue.ſio-

uersionem eius gentis. Item D. Agnellus, & Gaudiosus, cum S. Quoduultdeo & ceteris Præsulibus, fugâ ex Africâ iuxta hanc ciuitatem delatis. Alij, teste D. Antonino, deuenerunt in Thusciam: vbi D. Augustinus aliquot monasteria erexit eo tempore quo per ea loca in Africam rediit, atque inter cetera vnum Sanctissimæ Trinitati sacrum, ob apparitionem pueruli iuxta littus sibi factam. Huiusce monasterij (scribit Martinus V.) etiamnum visuntur quædam indicia. Inde plures coloniæ Religiosorum deductæ sunt, quædam in monasterium Ilicitanum sub annum Domini DC. vt Paulus Morigia testatur lib. De orig. Relig. cap. XXXV. In Senense monasterium anno M.L. vt Franciscus Thomæ ChronographicusSenensis; inde paulò pòst Venetias deuenisse, argumento sunt præter Leandrum Albertum in suâ Italiâ veteri, monumenta Veneta Auditionis Aulæ: in quâ feruntur in habitu Augustiniano exstare tres eximij Venetorum Patriarchæ, cum huiusmodi subscriptione, *An.* DCCCC.XVII. *Dominicus Dauid Venetus Ordinis Eremitarum, Patriarcha Venetiarum num.* XIII. quem aliquo pòst interuallo sequuntur Bonifacius Valerius, Michael Carthego, & ipsi Patriarchæ. In Hispaniâ nostrum insti-

Part. 3. t. 24

Hom. de translat. S. Monicæ.

Quomodo Augustiniani Ordinis coloniæ in varias orbis partes deductæ.

tutum propagatũ eſt, primùm à S. Paulino, dein à S. Donato, qui viuus mortuuſq; claruit miraculis. Id accidiſſe Erâ DC. XIII. hoc eſt anno Dñi D. LXXV. expreſsè habet Auſonius ad Paulinum Epiſt. xxv. Maximus in Chronicis Gothicis Erâ DC. XIII. & S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus de viris illuſtrib. cap. IV. ad quem etiam ſub id ferè tempus literas dedit S. Arthuagus monachus Auguſtinianus, de quo Maximus ſuprà: *An. D. LXXXIV. floret Arthuagus, cognomẽto Gothus, ex Ordine S. Auguſtini, prior Abbas in monaſterio Ciſlaenſi S. Crucis prope Toletum.* Religioſi enim (vt hoc in tranſcurſu explicemus) obediebant Præpoſitis ſiue Decanis, hi verò Patri ſeu Abbati monaſterij: eratque vnus Preſbyter, qui vices Epiſcopi ſeu Prouincialis obeundo, cunctos per vniuerſum huiuſmodi tractum Eremitas regebat. Vnde in Regulâ ſcriptum eſt: *Præpoſito tamquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium veſtrûm curam gerit.* Exin Ordo in Luſitaniam eſt deductus per S. Nuntum monachum, poſteaque inuictum Martyrem: inde in Armeniam ſe extendit, perque Inſulas maris Oceani, ad vſque montes Malabaricos. Quibus iterùm in partibus, Clemente VIII. Pontifice Romano, Reuerendiſſimus noſter

D. Ildephonſus & Arthuagus Eremita Auguſtinianus coætanei. Vide Tabulas Eccl Toletanæ apud Iul.

Paul. Diac. in hiſtor. Eremit. in Nunto.

ſter Alexius Menezius, nuper Indiarum, nunc verò Luſitaniæ Prorex, vnà cum collegis, fidei Catholicæ ſtrenuam operam nauarunt, & magnâ ex parte reſtaurarunt, baptizatis ibi Principibus viris aliquot, tribus nimirum nepotibus magni illius Mogor, ac prætereà Regibus Pambe, Pate, & Badaron, nec non Regis Ormutij vnico filio: qui ſpreto regio diademate, D. Auguſtini habitum ſummis precibus efflagitauit; ac tametſi renitentibus Patribus Auguſtinianis (quòd eum dicerent vtiliorem fore Chriſtianæ reipub. in regno, quàm in Religione) ad extremum Ordini noſtro humiliter eſt initiatus. In vtraque Indiâ, Peruanâ in primis regione, in Inſulis Philippinis, Moluccis, & alijs plurimis, primi, vel ex primis Chriſtianæ fidei ſatoribus fuêre Auguſtiniani. Quibus Rex Catholicus pleriſque in locis ſuis ſumptibus, ac præſertim in Mexicanâ ciuitate bis centum aureorum millibus eleganti ſtructurâ domum ædificauit. Etiá in Æthiopiam ſupra Ægyptum, tempore Concilij Chalcedonenſis circa annum Domini CCCC. LI. Eremitæ noſtri penetrarunt. Nam vt fidem faciunt archiua ſeu tabularia Eccleſiæ ſancti Stephani Romæ, quam Indi & Æthiopes Chriſtiani habitant: *Apparuerunt primùm ex Africâ venien-*

venientes nouem fratres, seu monachi, induti habitu nigro, cum manicis largis & corrigiâ, quorum nomina hæc sunt, Ioannes qui senex erat & aliorum veluti Prior, Licanos, Pantaleon, Garime, Saama, Affe, On, Gubla, Lamapta. Et isti sunt qui in Aethiopiâ instituerunt monasteria, atque eorum corpora tamquam sancta venerantur.

CAPVT XIX.

S. Augustinus exornat Ecclesiam Monachis, Clericis, & Martyribus.

HI omnes alijque innumeri longâ serie temporum secuti sunt primum S. Augustini institutum. Quòd autem ipsemet primus in Africam hunc viuendi modum induxisset, eoque vteretur, inde nimirum Donatistæ pestiferum genus hominum non dubitauerunt tam salutare inuentum Augustino velut illius primario auctori obijcere, quemadmodum ipse refert; cùm tamen ex Ægypto, Italiâ & aliunde tale vitæ genus primùm acceperit. Inaudierat enim iam pridem D. Ioannis Baptistæ austeram in eremo viuendi rationem; acceperat aliorum sermone, D. Paulum Archieremitam victu habituque duro vsum esse; iam famâ didicerat totius Ægypti sanctissimum Archimandritam Antonium, sed & plurimorum

rum monachorum facilè poterat esse conscius qui in Thebaidis ciuitate Oxyrincho commorantes, adeò se quaquà versus diffuderant, vt multò plura monasteria quàm domus eadem in vrbe censerentur: viginti enim millia virginum, & decem millia virorum vrbs ea ambitu suo cōplectebatur. Viderat & in Italiâ non pauca egregiè instructa monasteria, quæ beatorum ciuium choris non dubitabat cōparare. Quem Angelicum in terris viuendi modum ipse sectatus, & admirabili cōnexione Monachismum Clericatui iungens, è suis delectos aliquot, eosque pietate & doctrinâ præcellentes, dein sacris Ordinibus initiari curauit. Qui eius statuto, præter communia tria votorum exercitia, cœperunt vnà recitare Preces horarias, Sacrum celebrare, concionari, excipere confessiones, aliaque id genus, instar Apostolorum, Ecclesiastica obire munia. Adeò vt rectè iuxta Possidium dicatur Augustinus Presbyter factus cœpisse viuere cum Clericis secundùm regulam sub sanctis Apostolis constitutam: eò quòd tum primùm S. Pater sit exorsus vitam Apostolicam modo perfectiori, maiorique amplitudine. A quo modo sic viuendi vt non esset resiliendi facultas, illi astringebant se *felici necessitate, quæ in meliora compellit.*

Euagrius in Vitâ SS. Patrum cap. 5.

Lib. 1. de moribus Eccl. c. 33. Possid. c. 11 Vitæ.

Innoc. 1. ep. ad Vitricium.

Augustinus epist. 76. ad Aurelium.

Augustinus epist. 77. Hier. epist. ad Nepotianum.

Epist. 45.

Hac

Hac tam egregiâ tum Monachorum, tum Clericorum vnione, velut lucidissimis astris Ecclesiam Catholicam exornauit in pacis serenitate, vt Martyrum genus in persecutionis turbine; quamquam nec hi quidẽ ex Augustiniano cœtu posteà defuêre. Et quidem sub eadem ferè tempora sęuiente tyrannorum rabie, tradunt 2500. ex Augustinianâ Religione fratres effuso sanguine testimonium illustre Christo reddidisse. Qui tamen in Martyrologio Romano peculiari celebritate minùs culti fuêre, quòd eorum nomina deprehendi non potuerint. Eorum tamen generatim fit mentio, & centenario vel millenario numero comprehensi recitantur. Ex omnibus autem septem omnino, XVI. Kalend. Septemb. distinctis nominibus, Liberatus, Rogatus, Septimus, Bonifacius, Seruius, Rusticus & Maximus referuntur, qui remorum fragmentis crudelem in modum trucidati fuêre. Neque verò quispiam ab eius ætatis monachis hæc nomina scripto exigenda prudens existimabit, qui, vt ait B. Iordanus, *plus rebus piè gerendis, quàm scribendis vacabant.* Idem quieti penitus intenti omnem vel speciem ostentationis, omnem strepitum rerum sæcularium, omneque cum hominibus commercium vitabát, nisi forsan Christiana

Innumeri Martyres Ordinis D. Augustini.

stiana caritas aliter quid fieri postulasset.

Faciebant id exemplo sui Patris, qui solitudinis erat amantissimus: quam cùm amici causâ, cuius salutem quærebat, ac etiam propter monasterij constructionem paullùm reliquisset; tum primùm in Presbyterij, ac deinde grauem Episcopatus velut pedicam incidit. Atqui fuerit gratius, hęc omnia ex ipso Augustino ad populum pro concione deplorante semetipsum, intelligere: *Quærebam*, ait, *vbi constituerem monasterium, spem quippe omnem sæculi reliqueram, & quod potui esse nolui, nec tamen esse quæsiui quod sum. Elegi in domo Dei mei abiectus esse. Ab ijs qui diligunt sæculum, segregaui me*, per religiosum mundi contemptum, *nec præfectis populi me æquaui, sed* à Prælaturæ officio tantopere abhorrui, vt *quoniam cœperat esse alicuius momenti inter Dei seruos fama mea; in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, cauebam. Et hoc agebam quantum poteram, vt in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer. Veni ad istam ciuitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, vt nobiscum esset in monasterio. Quasi securus perueni, quia locus habebat Episcopum. Non attuli aliquid, nec veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum ijs indumentis* (pullo scilicet habitu, Ser. 49. De diuersis. *Augustinus hic manifestè monachus ostenditur.*

zonâ

zonâ pelliceâ cincto, & cucullo, quæ nec Episcopus (vt volunt) deseruit) *quibus illo tempore vestiebar. Et quia* (ægriùs ferens suorum Eremitarum absentiam) *disponebam esse in monasterio, cognito voluntatis meæ proposito, B. M. senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi colligere fratres, nihil habentes, sicut nihil habebam, & sua mecum pauperibus erogantes, vt de communi viueremus: commune autem nobis esset, magnum & vberrimum prædium ipse Christus.* Subdit: *Perueni ad Episcopatum, vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscumque venientibus siue transeuntibus. Si autem consuetudo ista in monasterio permissa, indecens esset. Et ideò volui habere in istâ domo Episcopi mecum monasterium Clericorum.*

CAPVT XX.

S. Augustinus duas familias Religiosorum instituit, Eremitarum & Canonicorum Regularium.

QVIBVS verbis liquidò monstratur, S. Augustinum Hippone duo construxisse monasteria: vnum quidem Eremitis Religionis suæ sodalibus, cùm Presbytér tantùm esset; illudque secus flumen in pomœrio,

mœrio, quod adire piè contemplandi gratiâ fuit solitus; cuius monasterij etiamnum perhibent quædam spectari rudera. Alterum verò conditum ab eo cùm Episcopus esset, quod Clericis Regularibus initium dedit in Episcopali eius domo, quæ proximè fuit ecclesiæ coniuncta. Consequitur etiam, Baronio teste, duas Ordinis diuersi familias à S. Augustino fuisse institutas, seu potiùs reformatas; eorum nempe, qui in Episcopali domo Clericalem vitam agétes, iam Episcopo conuiuebant; & eorum qui nigrâ veste cinctuque pelliceo vtentes, extra omnem sæculi tumultum, domicilium sibi elegêre, Parentem suum habitu & moribus æmulantes: quales è multis fuisse accepimus D. Euodium, Fulgentium, reliquosque suprà recitatos, homines cùm pietate, tum doctrinâ conspicuos, eosdemque Dei & Angelorum sæpe in terris colloquio fruentes. Quin etiam, vt auctor est Baronius tom. v. an. CCC. XCV. CCC. XCVIII. & alibi, huiusmodi fuêre quotquot ibidem per ea tempora Presbyteri consecrabantur. Ac non ita multo pòst, decem Episcopos doctissimos, vt testis est Possidius, è cœnobio in varias velut colonias deduci permisit S. Augustinus: qui omnes diuersis Ecclesijs præfecti, atque eiusdem Religiosæ vitæ pro-

Henricus ab Alemaniâ. Nicolaus ab Alexandriâ.

Baron. t. 6. ann. 504.

Ferdin. ab Hispaniâ Episcopus Auinionẽsis. Serm. 150. apud B. Iordanum de Sanctis.

Cap. 11. Vitæ S. Augustini.

paginem explicantes quaquauerſus & ipſi in ſuis diœceſibus monaſteria exſtrui curauerunt. Ne quis autem magnopere de primogeniturâ digladietur vel etiam vanè glorietur (id enim non optimo exemplo quidam fecêre) ſubijcere hîc volui, quæ de hac re ſapienter ac vere legi in hæc ferè verba

Lib. 2. Vitasfr. c. 12. apud noſtrum B. Iordanum è Saxoniâ: *Ego omni ſcrupulo ſemoto, æſtimo quòd illi de ipſius Regulæ primatu digniùs glorientur, qui contenta in Regulâ deuotiùs & feruentiùs exequuntur: & ſi optare poſſem, hoc mallem in hoc S. Ordine potiùs inueniri, quàm quòd ipſe S. P. Auguſtinus Regulam ipſam Patribus noſtris primò dedit. Non enim de primitate collationis, ſed de præcipuitate obſeruationis eſt curandum. Sed timendum ne pleriſq; de principalitate Regulæ litigantibus accidat, ſicut Iudæis qui gloriantur ſe primos & præcipuos eſſe in collatione legis, eò quòd lex à Deo per Moyſen eis immediatè fuit data, verùm illi de ipſius legis obſeruantiâ minimè curant, immò ab eadem deficiunt.* Vnde veriſſimè in illos hoc dici poſſe ſubnectit, quod in Vitis-patrum ſenior quidam ſimili vanitate monachis in hanc ſententiam

Part. 2. lib. De diſcretione. obijcit: *Prophetæ conſcripſêre libros; Patres autem noſtri venerunt poſt eos & operati ſunt eos: & iterùm ſucceſſores eorum com-*

men-

mendauerunt illos memoria. Venit autem generatio quæ nunc est, & scripsit eos in chartis & membranis, &c. *& posuit eos in fenestris vel cistis otiosos.*

CAPVT XXI.

Complures Episcopi monasteria Augustinianæ Religioni construunt, quæ etiamnum hodie tot afflicta persecutionibus constat.

DIVERSARVM nationum Episcopi, cùm ad Prouincialia Comitia in Africam sæpiùs conuenirent, videntes hoc Augustini institutum ita propagatum, & tot è discipulis eius creatos Episcopos, quodque in Conciliis inuenirentur literati non pauci de monasteriis prodeuntes; ad sua reuersi, magnopere laudabant hæc incrementa Ecclesiæ Africanæ: quòd eadem quæ vix antè poterat Episcopos obtinere Catholicos, iam abundaret Monachis & Clericis, per quos hæresis exstirparetur, & pietas omni modo promoueretur. Quamobrem Innocentius I. hoc institutũ magnopere probauit, & Eremitas quàm plurimos sub hac à se cõfirmatâ Regulâ coadunauit. Zozimus autem iuxta Ilescam, iisdem viris religiosis facultatem dedit Euangelium vbiuis prædicandi, idque ratione multiiugæ eruditionis, atque eximiæ sanctitatis, quibus tunc

Platina in Inoc. I.
Henricus ab Vrimariâ.
B. Iordanus lib 1. Vitas-fr. cap. 19.
Lib. 2. c. 9. & 10.

tunc mirabiliter efflorescebant, vtpote
Possid. c. 5. Vitæ. ipsimet Augustino, copioso fonti sapientiæ plurimùm vicini. Vnde volunt hosce Eremicolas ex primis vel etiam primos Religiosos ab Apostolis fuisse, qui palàm Euangelium vbique gentium prędicarunt. Haud igitur mirùm, si diuersis priuilegiis viuę saltè vocis & fauoribus iam olim eos prosecuti fuêre Pontifices Romani, vtpote Sixtus III. Leo I. Gelasius I. (quem in monasterio conuixisse volunt S. Augustino, monachumque fuisse) Symmachus Sardiensis, & alij deinde plures. Quâ re factum est, vt per omnem Africam (quod antè diximus) transmarina loca, vastissimasque Ægypti ac Æthiopiæ regiones, quas idem vir sanctus amore martyrij salutisque proximorum lustrasse prædicando dicitur, Augustiniana familia tantum incrementi acceperit, vt
Boët. Sabell. & Medin. de Cõtinentiâ lib. 1. c. 53. monasteriorum iniri numerus haud possit; nedum eorum census institui, qui sanctitate ac eruditione in ijsdem præstitêre. Hæc eadem Augustiniana Religio singulari Dei beneficio refert acceptum, quòd inter sæuissimas bellorum tempestates, quas omnis generis barbaræ nationes in diruendis eiusdem domibus excitauerunt, non tantùm non defecerit, vt etiamnum post tot sæcula vigeat atque reflorescat. Refert hoc ipsum

præcla-

præclaris etiam parentis sui meritis acceptum. Nam, vt ait Spiritus sanctus, *Benedictio patris firmat domos filiorum*; quòd etiam hac tempestate perstet, intercessionibus eius apud Deum se debere fatetur. Etsi enim in Beatorum sedes ab illâ sit translatus, eius nihilominùs fauorem experitur; & quem in terris meruit habere Patrem, eumdem sentit in cælis patronum. Eccles. 3.

Capvt XXII.

Augustiniani bono publico in ciuitates aduocantur.

Retinet autem hæc sacra Religio vetus Eremitarum nomen, tametsi nunc in vrbibus habitat; à primâ suâ per Augustinum in Eremo circa annũ Domini CCC.LXXXIX. institutione, & priscâ deinde solitudines incolẽdi consuetudine: quæ eousque perseuerauit, donec ab Innocentio & Alexandro IV. Pontificibus Romanis, ijdem Eremitæ per cælestem visionem, loco, habitu & regulâ, cum pluribus aliis variè sparsis, sub vno capite ac Generali Patre adunati in vtilitatem Catholicæ plebis, ad ciuitates sunt inuitati; facultate datâ iis qui in Eremo persistere vellent: plurimumque adaucti fuère, ceu stellæ cæli, quarum ob multitudinem iniri numerus non potest.

Cur Augustiniani vocentur Eremitæ.

Hier. Sorbo in Priuil. fol. 10.
Baron. t. 4. hoc an. 389.
S. Antoninus part. 3. tom. 24.
Tarsanor. part 2 hist. lib. 6. f. 207.

Quæ profectò stellæ, tum sanctitatis tum doctrinæ splendorem (post Deum Opt. Max. ab Augustino mutuantes, vniuersam Ecclesiam Catholicam illuminarunt. Atque etiam hoc rerum turbine, velut quidam planetæ feliciter errantes, Orientis atque Occidentis Indias; ad hæc Armeniæ, Brasileæ, Persidis, Bambarecæ & vicina regna, Catholicæ Religionis postliminiò restituendæ gratiâ peruagantur. Inter quos è primis fuit insigni zelò fidei succensus prædictus Illustrissimus Alexius Menezius pronuper Archiepiscopus Goanus ac Primas Orientis, nunc Lusitaniæ Prorex. Quòd verò futuris deinceps temporibus eadem Religio sese extollet altiùs, reique Christianę fiet adiumento, sagaciores dispiciunt satis, & dilucidiùs confirmat D. Antoninus vaticinio Ioachimi Abbatis prophetiæ spiritu clari, quod in hanc sententiam ex illius explanatione in Apocalypsim affert; *Surget*, inquit, *Ordo qui videtur nouus & non est, induti nigris vestibus & desuper accincti zonâ pelliceâ: hi crescent, & fama eorum diuulgabitur: & prædicabunt fidem, quam & defendent vsque ad consummationem, in spiritu & virtute Eliæ. Qui erit Ordo Eremitarum æmulantium vitam Angelorum. Quorum vita erit quasi ignis ardens in amore*

3. part. histor. t. vltimo. Antonius Posseuin. Appar. sacro v. Ioachimus.

amore & zelo Dei, ad comburendum ſpinas & tribulos, hoc eſt ad conſumendum & extinguendum pernicioſam vitam prauorum.

CAPVT XXIII.

Ordo S. Auguſtini complectitur quoque virgines Deo ſacras.

COMPLECTITVR etiam hæc Religio virgines Deo ſacras: nec enim ſatis viſum eſt S. Auguſtino, hanc viuendi methodum viris præſcripſiſſe, ſed imbecilliori quoque ſexui conſulere volens, eamdem paulò pòſt viuendi Regulam ſimul & feminis tradidit, pauca tantummodò verba immutans; vt patet Epiſtolâ 109. in quâ ſcribit ſe hunc hortum Dominicum plantaſſe & rigaſſe, non vt ſpinas, ſed vt fructus meteret bonorum operum. Præfecit primò Tagaſtæ Virginum Conuentui ſororem ſuam Perpetuam, de quâ Poſſidius: *Germana ſoror eius vidua Deo ſeruiens multo tempore, vſque in diem obitus ſui, Præpoſita ancillarum Dei vixit*, miraculis clara. Putantur & in eodem monaſterio Religionem profeſſę Baſilica & Felicitas, ſorores Auguſtini ex altero tantùm parente, atque etiam ipſius conſobrinæ, de quibus idem Poſſidius ſcribit: *Patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ pariter Deo ſeruiebant.*

Cap. 26. Vitæ.

Cardinal. Seripandus in Chron. Ordin.

Sabell. Aenead. 7. lib. 9. par. 2.

Erat Auguſtino ſummæ voluptati harum

 mulie-

mulierum frequentia, piè viuendi ratio, ac in ſanctitate progreſſus, vt declarat epiſtolâ
Epiſt. 109. ſuprà citatâ: *Soleo*, ſcribit, *gaudere de vobis, inter tanta ſcandala quibus abundat vbique hic mundus, aliquando conſolari, cogitans copioſam congregationem, & caſtam dilectionem, & ſanctam conuerſationem veſtram; & largiorem gratiam Dei, quæ data eſt vobis, vt non ſolùm carnales nuptias contemneretis, verùm etiam eligeretis in domo ſocietatem vnanimes habitandi, vt ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.*

Monet eaſdem vt conſtent in bono pro-
Li. De Cor. poſito, affirmans *neminem in æternam vi-*
rept. & grat. *tam poſſe ordinari ſine perſeuerantiâ, quandoquidem qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Obedientiam maximè rogat vt ſeruent, *quòd mater quodammodò ſit om-*
Lib. 14. De ciuit. c. 21. *nium cuſtoſq; virtutum. Obedientem mulie-*
Li. De opere Monach. *rem inobedienti virgini præponendã. Ac obe-*
Lib. 8. ſuper Geneſ. *dientiæ quidẽ excellentiam Chriſtum demonſtraſſe, quippe qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed eius à quo fuit miſſus.* Ad hæc vt normam monaſticam, ſiue Regulas Ordinis exactè ſequantur, *eum enim*, inquit, *ſi*
Lib. 1. De Ordine cap. 9. *tenuerimus invitâ, nos perducturũ ad Deum: & ſi non tenuerimus in vitâ, nũquam peruenturos ad Deum.* Habitus earum erat, vt virorum, niger, cinctus, zonâ pelliceâ, cum velo

instar mitellæ caput operiēte. Docet id c. 11. Cōcilij IV. Carthag. Optatus Mileuit. & alij. Lib. 6 cōt. Donatist. In iis B. Rita de' Cassiâ, B. Christina, B. Maxima, atque vna multarum instar B. Clara, quam vocant de Monte-falco, assiduis solita lacrymis recolere animo mysteria Dominicæ Passionis. Eamdem iam morti vicinam fama erat in corde sculptam gerere Christi Passionem. Itaque cùm sanctissimè decessisset, aperto corde, in eoque cruce, coronâ spineâ, flagello ceterisque mortis Domini insignibus inuētis, liquebat vera fuisse, quæ de eâ ferebantur. Ad hæc in felle tres lapilli rotundi sunt inuenti, ponderis æqualis, qui nullâ vi frangi queunt, coloris incogniti: & quod est summâ dignum admiratione, tantum pendit vna pilula, quantum duæ vel etiam tres simul. Quâ re significatur profundissimum mysterium S. Trinitatis, cuius ipsa B. Clara quoad vixit, studiosissima fuit. Corpus Virginis etiamnum post annos plusquam CCC. intactum & integrum, cum pilulis, in exiguo Italiæ opido Monte-falco nomine, vidimus. Spectant ad eamdem versus sequētes:

Par tribus est pōdus, par vni, parq; duabus,
Vna tribus par est, æquat & vna duas.
Illæsi superant defunctæ virginis artus,
Extat & in summâ nare vigetq; cruor.

CAPVT XXIV.

D. Augustini sincera Deo placendi intentio, studiumq́; promouendi eius honorem, & proximorum salutem, præsertim concionando; quâ in re præcellens, multis saluti fuit.

IGITVR monasticæ vitæ genere probè instituto, deinceps sacerdotium omni pietate exornandum putauit, in eumque finem, tamquam itineris ducem sibi delegit sinceram in omnibus soli Deo complacendi intentionem, quam Dominus oculum appellat: *Hunc oculum*, inquit, *habet ille qui finem bonorum operum, vt verè bona opera sint, non in eo constituit vt hominibus placeat, sed etiam si peruenerit, vt eis placeat, ad eorum potiùs salutem refert, & ad gloriam Dei, non ad inanem iactantiam suam.* Id ipse egregiè præstitit, qui singula opera sua in vnius Dei honorem retulit: *Dulcescas* (Deo loquitur) *mihi super omnes seductiones quas sequebar, & amem te validissimè. Tibi seruiat quidquid vtile puer didici, tibi seruiat quod loquor, & scribo, & lego, & numero. Misericordia tua exaudiat desiderium meum, quoniam non mihi soli æstuat, sed vsui vult esse fraternæ caritati. Et vides in corde meo, quia sic est; vt sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ.* Et alibi: *Tu solus finis*

Lib. 2. de Serm. Domini in monte.

Lib. 1. Cōfess. c. 15.

Li. 11. Cōfess. c. 2.

Medit. c. 41

finis intentionis meæ. Hac mente, quæ sibi ex officio incumbebant res omnes aggressus, occasionem nullam prætermisit, quâ possent honor Dei, vel cuiuspiam hominis salus promoueri. Vnde Possidius: *Zelo Dei succensus, Dominicis semper damnis mærebat, & lucris gaudebat.* Quos cælestes quæstus vt ampliter vndequaque coaceruaret, simulac facultatem concionandi est adeptus, Euangelicam pecuniam dedit ad vsuram, sacrum Dei verbum magno cum populi applausu & fructu pro concione prædicans, eò quòd singulariter hac in re excelleret. Quamobrem in solemnitate eius annuâ canitur: *Lætatur cum Apostolis, quorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis peruia: post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia.* Cùm enim res duæ maxime Ecclesiasten perficiant, doctrina & elocutio, vtraque in eo summa fuit. Et quidem quod spectat artes liberales, tam apprimè eas intellexit, vt de iis singulos libros conscripserit: adeò vt si in obliuionem issent, ab eo restitui faciliter eædem potuerint. Etiam in historiâ, *quæ prudentiæ mater est, & nos plurimùm ad intelligendos sacros libros iuuat,* præcipuè fuit versatus, vt omittam rerum diuinarum & humanarum scientiam, quæ in libris eius

Omnem occasionem captat honorem Dei, & salutem hominum promouēdi. Cap. 18.

S. Augustinus eximius Ecclesiastes.

Lib. 2. De doct. Chr. cap. 28.

De Ciuitate Dei vel maximè relucet. Adeò verò eloquentiâ præstitit, vt etiam inimicissimus eius Secundinus Manichæus ad eum scribat: *Summum te vbique inueni Oratorem, & deum pæne totius eloquentiæ. Ego namque fateor, non tali diligentiâ, nec tantâ industriâ Anicianæ domus micare marmora, quantâ tua scripta perlucent eloquentiâ.* Hieronymus epistolâ 30. ad Augustinum: *Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum S S. hauriri fontibus, à te dissertum est.* Ac pictorum nemo, existimem, tam euidenter corpora quiuerit penicillo exprimere, quàm ille mirificè ac inimitabili eloquio quasi spectandam nobis futuræ vitæ gloriam proposuit, quam tamen vmbraticè solùm, & per rerum similitudines apprehendimus. Sanè ardentissimum eius amorem, quo in Deum & in omne genus hominum exarsit, quemque modis omnibus persuadere hominibus studuit, eiusce tum scripta tum dicta passim spirant. Quamobrem Comes Darius summè desiderabat eum concionantem audire. Dixisse hunc ferunt: *O me non modò ter aut quater, sed millies & omni numero plus beatum, si mihi datum esset præsenti intueri tuos verè sidereos vultus, vocemq́ue diuinam, & diuina canentem, & non solùm mentis fru-*

T.6. Epist. ad Augustinum. Lib. 1. contra Cresc. cap. 2.

Epist. 263. apud Augustin. to. 2

ctus,

ctus, sed etiam cum aurium suauitate sumere & audire licuisset. Putarem profectò me quasdam immortales leges non modò de cælo, sed in ipso constitutum cælo suscipere, & quasdam Dei voces, non longè de templo, sed prope ipsum Dei astantem tribunal audire.

Mirabiles autem fuêre prędicationis eius effectus: nō enim ad meliorem frugē duntaxat malè viuentes Catholicos reduxit: verumetiā ab hęresi multos ad saniorē fidem traduxit. Meminit Possidius inter ceteros Firmi cuiusdā, quem hęreticum D. Augustinus præter mentem à proposito (Deo sic ordinante) digrediens, ita conuertit, vt eum non tantùm religiosis cœtibus aggregarit, verùm etiam Presbyterum effecerit. Quare tanto eius concionandi studio Africana Ecclesia, quæ multo tempore hæreticis inualescentibus iacebat oppressa, leuare caput demum est exorsa: & fidem Catholicam quam ex eius ore suscepit, longissimè deinceps retinuit. Nam tametsi vicinæ regiones iam diu Orthodoxum credendi modum reliquissent; nihilominùs anno Christi M. L X X X V. Gregorio V I I. Pontifice, Hippone (nunc Bona dicitur, abiectione primę syllabę, & p literâ mutatâ in b, quod est dictu mollius) auita illa fides etiamnum florebat, vt liquet ex eiusdem Pontificis Epi-

Mirabiles prædicationis S. Augustini effectus.

Cap. 15. Vitæ.

Possid. c. 9. Vitæ.

Tom. 3. epist. 10. Epistolâ, quam dedit ad ciues Hipponenses, commendans eis Archiepiscopum Seruandum. Quàm autem hominũ omnium inuigilauerit saluti, paucis & apertis verbis docet Præfatio, quæ solemni eius die canitur in templo: *Clericos docuit, laicos monuit, deuios in viam veritatis reduxit: cunctorumq́; conditionibus salubriter prouidendo, Dei in hoc mari nauiculam prouidè gubernauit.* Enimuerò boni gubernatoris est, non tantùm in stellam polarem oculos intendere, sed & clauo manum admouere, si portum desideratum tenere velit. Sic nimirũ ipse non tantùm intellexit, aliosq́; intelligere docuit, quibus modis ad æternæ felicitatis stationẽ pertingerẽt: sed ad hęc operi manum prior admouit, ceterosq́; homines non tam verbis quàm exemplis est adhortatus.

CAPVT XXV.

Ingens mortificationis eius studium.

QVANTVM autem mortificationis studio deditus fuerit, atque à rebus omnibus, non tantùm vitiosis, verùm etiam licitis abstinuerit, satis hoc eius aureum dictum declarat: *Moriar, ne moriar.* Itemque: *Hoc opus nostrùm, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frenare, interimere. Calca,* prosequitur, *mortuum,*

Lib. 1. Cõfess. cap. 5.

Sem. 13. de ver. Apost.

tuum, transi ad viuum, à mortificato nempe vitio vno ad mortificandum alterum. *Calca iacentem, conflige cum resistente, mortua est vna delectatio, sed viuit altera.* Et alibi: *Ego persequar affectus carnales meos, ne ab eis comprehendar, sed comprehendam illos; vt absumantur, & non conuertar donec deficiant.* Et rursus: *De agendâ istâ vitâ temporali eo modo per quem veniendum est ad æternam, noui concupiscentias carnales esse frenandas, tantumq́; remittendum in delectationes sensuum corporalium, quantum sustentandæ huiusmodi agendæ vitæ satis est, omnésque molestias corporales pro veritate Dei, & salute æternâ nostrâ & proximi patienter fortitérque tolerandas.* Enarrat. in Psal. 17. Epist. 250. ad Paulinũ.

Bellum igitur intestinum (sic vocat) singulis indixit sensibus. Et ad oculos quidem quod attinet: *Resisto*, inquit, *seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei quibus ingrediar viam tuam Domine, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Pulcras formas, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus, qui hæc fecit: bona quidem valdè, sed ipse est bonum meum, non hæc.* Quantum verò ad auditum: *Cùm*, inquit, *accidit vt me ampliùs cantus, quàm res quæ canitur moueat, pœnaliter me peccare* Li. 10. Cõfeß. c. 34. Lib. 10. cap. 33.

confi-

confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Quantum ad olfactum: *De illecebrâ*

Lib. 10. c. 32. *odorum non satago nimis: cùm absunt, non requiro; cùm adsunt, nō respuo; paratus etiam iis semper carere.* Quantum ad linguam:

c. 37. *Quotidiana fornax est humana lingua. Imperas,* Domine, *nobis & in hoc genere continentiam: da quod iubes, & iube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, &*

c. 31. *flumina oculorum meorum. Aduersus autem suauitatem* ciborum *pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiuniis, sæpiùs in seruitutem redigens corpus meum. Hoc tu me*

Nota. *docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed cùm salus sit caussa edendi & bibendi, adiungit se tamquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius caussa fiat quod salutis caussâ me facere vel dico, vel volo. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dextram tuam ad salutem meam.* Tentationi namq; non aliud æquè præstò remedium est quàm oratio, quæ thesauros diuinos nobis aperit, quæ cæli scala est, quæ sacræ benedictionis aditus est, quâ vnâ cæleste nobis lumen & diuina solatia inferuntur: quâ denique Augustinus in virum tantum talemque, & omni affectu inordinato liberum euasit.

CA-

CAPVT XXVI.

Summa eius humilitas, & conscientiæ teneritudo, quam etiam vel à specie mali seruare studuit.

QVAMVIS autem eis omnibus virtutibus, quæ viro sancto dignæ sunt, ornatissimus fuit, tamen singularis eius animi demissio præ ceteris primas ferre videtur. Patuit hęc præsertim ex liberâ peccatorum confessione: nam cùm hominibus naturâ comparatum sit (quod est Iobi 31.) malefacta propria tegere silentio; ille toti posteritati, velut in theatro patenti, conscientiæ propriæ simulacrum expressum in libris Confessionum inaudito reliquit exemplo: & quæ coram vno mortali secretò referre peccata nos formidamus, ille mortalibus omnibus palàm facere non erubuit. Adhæc, si quando minimos etiam næuos contraxisset, apud Sacerdotem eorumdẽ confessionem instituit, alios vt se imitarentur exemplo suo prouocans. *Quoniam enim insudat aqua per angustas rimulas nauiculæ nostræ, ne impleatur sentina, & cymba mergatur, non cessetur à nautis, abluant manus, & quotidie quod nautæ faciunt, exhauriantur sentinæ.* Hom 42. lib. 50. homil. & infrà, facilem spondens delictorum veniam, *Fac*, ait, *incertum esse, vtrùm*

N *igno-*

ignoscat Deus; quid perdit cùm supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitauit, cùm offenderet Deum? Quis enim certus est, quòd & Imperator ignoscat? & tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur, & pænè vt mors euitetur, mors ipsa suscipitur: supplicatur deinde per homines homini: sine dubitatione fiunt ista, cùm sit dubium quo fine proueniant. Et tamen certiores sunt claues Ecclesiæ, quàm corda Regum; quibus clauibus quodcumque in terrâ soluitur, etiam in cælo solutum promittitur: & multo est honestior humilitas, quâ se quis humiliat Ecclesiæ Dei, & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. Quo consilio, vt illa quæ conuersionem antecesserunt graui a referre non dubitauit, sic etiam post acceptum Baptismum, leuissima quæque errata, quæ plerisque mortalibus vix peccata videri possint, in se reprehendens, clauibus, vt iam dictum est, Ecclesiæ subiecit. Credo equidem per rimam in sole volitantis pulu isculos obseruantibus simile viro sancto contigisse, dum à conscientiâ tam purâ tamque limpidâ rationem rerum minutissimarum exposceret. Inde sui ipsius accusatio, quòd inter vescendum fortè bolum aliquem dederit voluptati: inde quòd ali-

Leuissima D. Augustini errata

quan-

quando in Ecclesiâ concentu vocum magis, quàm sensu fuerit oblectatus: *quòd casu leporem plagis implicatum, & muscam araneæ telis inhærentem curiosiùs contemplatus fuerit: quòd item sole ad meridiem clarissimè resplendente, delectationi quæ ex intuitu lucis est, plus indulserit.* Huiusmodi næuos minutissimos obseruare solito, quanta putamus religio fuisset, dies vel septimanas inani corporis oblectationi tribuere, in multam lucem stertere, risus aut cachinnos immodicos (quæ res animi tenorem vel maximè dissoluit) edere? *Quæ peccata illi non puteant, qui non habet olfactum animæ sanum.* Augustino verò plurimùm erant horrori, tum propter ingenitam fœditatem, tum propter diuinæ consolationis, quod adferunt, detrimentum. Vt enim minimæ sordes oculum lædunt, ita conscientiæ mentisque illam suauitatem leuis culpa tollit: eademque *nostrum decus* ita *exterminat, vt ab illius sponsi speciosi præ filiis hominũ castissimis amplexibus separet.* Quamuis enim, vt ibi prosequitur, animam letifero vulnere delicta venialia non afficiant, reddunt tamen eam maculosam, ac velut scabie infectam. *Quare nec inulta remanebunt peccata siue parua, siue magna; quia aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur.*

Lib. 10. Confess. c. 35. & alibi.

S. Basilius epist. ad S. Gregor.

Enarrat. in Psal. 37.

Lib. 50. homil. c. 3. hom. 50.

Venialis peccati dispendia.

In Senten. cap. 210.

Lib. 50. hom. c. 4. hom. 50. *Quotidianum conscientiæ examen instituendū.* *tur. Atque ideò per quotidianum examen conscientiæ ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat, quo velut sacrificio Deus* reconciliatur. Alioquin his adhuc interspersi, *per fluuiū igneum*

Lib. 50. hom. 16. *& vada feruentibus globis horrida transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina; & quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna deseuiet.* Huiusmodi maximè

Primis peccati tentationibus resistendum. diuini amoris considerationibus, tantopere vel à minimis offensiunculis se abstinuit, vt etiam quoad posset, primis suggestionibus peccandi ratione omni obsisteret. *Mul-*

Enarrat. in Psal. 36 *ta*, ait, *ago in cogitationibus meis pugnans aduersus malas suggestiones meas, & habens conflictationem diuturnam & propè continuam cum tentationibus inimici subuertere me volentis.* A mortifero verò peccato tantum abhorrebat, vt nec ob quæcumque huius vitæ commoda quemquam admittere posse dictitaret. Sic enim scribit Tractatu in Ioannem 51. *Cùm caussæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut fa-*

cien-

ciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vitâ migrandum; ibi eligat homo Deo dilecto emori, quàm Deo offenso viuere. Et alibi: *Nihil delectabilius Deo: nam in homine sunt quæ offendant, per amicitiam tamen cogis te, vt etiam illa quæ offendunt in homine, toleres per amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissoluere amicitiam; Dei amicitia quibus rebus debet cogi, vt dissoluatur à te?* Quam rem à multis præposterè fieri dolens, *Habet*, inquit, *hoc vehementer execrandum malum nimius amor vitæ istius, quòd multi dum volunt paulò diutiùs viuere, grauiter offendunt Deum, apud quem est fons vitæ: atque ita dum ab iis frustrà qui necessarius futurus est vitæ finis metuitur, illinc prohibentur vbi sine fine viuitur.* Ita censuit & seruauit in primis ipse, dein ceteros homines, vt quàm maximè peccatum, nec ipsum solùm, verùm etiam omnem peccati speciem diligentissime fugerent, priuatim & pro concione est frequenter adhortatus. Eorum tamen in se crudelitatē est vehementer insectatus, qui reprehensi propter offensiones palàm admissas, aiunt sibi coram Deo conscientiam sufficere. *Quisquis*, scribit, *à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benè facit: quisquis etiam famam,*

Potiùs mors oppetenda, quàm peccatum mortale cõmittẽdum.

Lib. 50. hom. 38.

In Psal. 35.

Omnis etiã species mali fugienda.

Li. De bono viduit. cap. 22.

& in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Vt verò in peccata non labamur, memoriam Christi in nobis crucifixi plurimùm valere dicebat, eamque debere peccatum cogitanti occurrere. Insuper vtilissimã esse frequentem exomologesim, & S. Eucharistiæ sumptionem, quod ex vtroq; Sacramento, tamquam de pretiosissimo vase, hauriantur medicamenta animæ sanitati accommoda: præsertim verò robur ad impetus diabolicarum insidiarum fortiter excipiendum. Siquidem cælestis ille panis confirmat cor hominis, & vinum illud germinat virgines. Neque minimas habet vires oratio: quæ & familiaris ipsi fuit in hæc verba: *Da quod iubes Domine, & iube quod vis: continentiam iubes, perseuerantiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Ita futurum videbat, vt homines à peccatis, præsertim maioribus, arcerentur.

Valida contra peccatũ remedia.

Zach. 9.

Lib. 10. Confess. cap. 29. & 31.

Capvt XXVII.

Hæreticorum reductioni vehementissimè insudat.

HÆRETICOS & ab Orthodoxæ regulâ fidei deerrantes ingenti labore conatus est ad viam veritatis reducere. Atque cum hæresiarchis, & iis qui præfractæ fuerant

rant ſententiæ, tum qui plebem imperitam ſuis næniis abducere ſoliti, vehementiſſimè contendit; ac præſertim cum Donatiſtis, & deliro hominum genere Manichæis: cuius ſectę Principem Fortunatum, propalàm excipientibus vtrimq; dicta Notariis, confutauit atq; deiecit, vt præ rubore ac ignominiâ ſectarius Hipponem repetere deinceps non fuerit auſus. Complures itaque ſuâ oratione & exemplo permotos ad Orthodoxam fidē adduxit, ac operâ ſuâ perfecit, vt res Catholica mirum in modum eâ tempeſtate ſemet efferret. Quam induſtriam & diligentiam vt adhiberent ceteri Epiſcopi, coràm & per literas eos vehementer inflammauit. Poſt hęc Fortunatum ſectæ principem, de quo iam diximus, excepit neſcio quis Manichæus par officio; quem S. Auguſtinus ſcripto inſectatus, *Si*, inquit, *quæſtionem in quâ tuus prædeceſſor defecit, mecum tractare non es paratus, diſcede hinc, & noli veneno inficere animas infirmas, ne adiuuantę dextrâ Domini noſtri, quo modo non putaras, erubeſcas.*

Diſputat palàm cum Fortunato.

Epiſt. 244.

Poſtmodum in Donatiſtarū hæreſi profligandâ multū laboris impendit: ac in primis rude vulgus, quod errore præceps ferebatur, dedocendum eſſe ſtatuit, Pſalmo qui eis caneretur, Latinè cōpoſito, quo calumnias

Totus eſt in profligandâ Donatiſtarum hæreſi.

nias à Donatiſtis factas Eccleſiæ Catholicæ inſigniter refellit, eoſque qui ſeducti erant, ad deteſtationem hæreſis, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ communionem inuitauit; extra quam nulli mortalium ſpem vllam veræ ſalutis propoſitam eſſe docet.

Tom 7 in principio.

Scitis, incinit, *Catholica quid ſit, & quid*
præciſum à vite?
Si qui ſint inter vos cauti, veniant, viuant de radice,
Antequam nimis areſcant, iam liberentur ab igne, &c.

Et poſt pauca:

Sed quid illi externum virtutum ſplendorem præ ſe ferenti prodeſt forma, ſi non viuat de radice?
Venite fratres, ſi vultis, vt inſeramini in vite:
Dolor enim eſt cùm vos videmus præciſos iacere.
Numerate ſacerdotes vel ab ipſâ Petri ſede,
Et in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit videte.
Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

Ad hæc epiſtolam Donati, quæ ſpecie antidoti venena propinabat, quaque nihil peſtilentius in manus Catholicorum venire potuit, ante omnia detexit, & contrariis argumentis diſſoluit.

DE VITA D. PATRIS AVRELII AVGVSTINI EPISCOPI

LIBER III.

Virtutes eius, cum hæreticis concertationes, ceterosque actus heroicos vsq; ad mortem, apparitiones quasdam & miracula demonstrans.

CAPVT I.

Vrgente clanculùm Valerio Episcopo Hipponensi, D. Augustinus Episcopatui admotus pietatem collapsam restituit, acerrimeq́; cũ sectariis, Donatistis præsertim, congreditur; qui propterea ei necẽ machinantur.



VM Christi anno CCC. XCIII. Hippone Regio generale Africæ Concilium celebraretur, Augustinus solùm presbyter, ob eam quam sibi famam apud omnes collegerat, cum Episcopis Concilio interfuit, iisque iubentibus de

fide & ſymbolo coram omnibus accuratiſſimè diſputationem inſtituit, quam poſtmodum multorum precibus inuitatus in libros redegit. Peperit ea res Valerio Epiſcopo Hipponenſi non leuem inuidiam, quòd Auguſtinum ampliſſimo Epiſcopatus honore digniſſimum, Sacerdotio tantùm initiaſſet.

Itaque S. Valerius ætate iam multùm inclinatâ veritus ne tanto viro priuaretur, néve alicui præficeretur Auguſtinus Eccleſiæ (quod dubiò procul, teſte Poſſidio, euenisſet, niſi ipſum occultari curaſſet) quia ſui eloquij doctrinæque ſpecimen iam abundè in prædicto Concilio dederat; imbecillitatem corporis, & linguæ quâ cum hæreticis velitari prohibebatur, impedimentum, ſimulque morbum ſenectutis cauſatus, egit per literas apud Primatem Prouinciæ Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, vt Auguſtinus Hipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus conſtitueretur, eſſetque quoad viueret ipſe Valerius, eiuſdem in rebus omnibus adiutor. Nec grauatè, quamuis hæc eſſet extraordinaria dignitas, impetrauit. Itaque deinceps cum Auguſtino, qui ætatis annum tunc agebat primú ſupra quadrageſimum, quartum poſt Sacerdotium, etſi valdè reluctaretur, tamen Epiſcopatus curam communi-

Poſſid. c. 8. Vitæ.

Baron. t. 4. anno 391.

municauit operâ & ministerio Megalij Episcopi Calamensis, qui eum Episcopatus sacris imbuit. Quod vbi resciuit Paulinus Nolanus Antistes, pro lætitiâ quam inde hauserat, dignitatem adeptam Augustino per epistolam est gratulatus. At Clerus vnà cum populo Hipponensi, suprà quàm dici possit gauisus tanto pastore Antistiteque, hunc inaugurationis eius diem anniuersariâ celebritate colere decreuit. Neque verò ille tantam potestatem assecutus, segniter officium exsequi, sed modis omnibus instare, & fidem Catholicam grauiter iis locis afflictam, ac regionem hæresum spinetis horridam, multisque vepribus abusuum obsitam, diuinâ cooperante gratiâ, in paradisum amœnissimum conuertere; itaque morum gangrænam, quæ velut dispositio est ad hæresim idonea, statim coërcere, collapsam pietatem in multis restituere, sermone atque exemplis præire singulis: in summâ, Præsulem vigilantem & absolutum se præstare. Quamobrem hæreticorum virus à sinceris Ecclesiæ membris longissimè arcendum ratus, Bagaiense Donatistarum conciliabulum descripsit, grauissima quibus inter se dissidebant odia retexit, vt sic eos tamquam Cadmeios fratres corruere mutuis armis ostenderet. Cùm

Apud Augustinum ep. 31. & 36

Augustin. epist. 64.

Lib. 3. côt. Crescon. cap. 56.

Cùm enim à Donato sectæ auctore primùm dicti fuerint Donatistæ, eorumdem alij Primistæ, alij Maximinianistæ, alij Claudianistæ, alij Rogatistæ, ac pluribus huiuscemodi nominibus ob pertinacem dissensionem sunt appellati. *Pars*, inquit, *Donati in multa minutissima frusta conscissa est, quæ omnes & singulæ minutæ particulæ conantur asserere apud se verum Baptisma remansisse, nec omnino esse alibi, nec in grandiore Donati parte, nec in ceteris, præter se vnam ex minutissimis partibus.* Hæc ille. Cuius si disputationes aduersus eos inspexeris, Catholicum hominem fuisse cum hæreticis nostris congressum videbis, atque adeò sententias plerasque, mutato nomine Donatistarum in huius temporis sectarios, quasi diuino Spiritu prædixisse cognosces.

Lib. 1. De Baptismo contra Donatistas.

Nota hîc indolem hæreticorum nostri temporis.

Eorum igitur, ac aliorum quorumcumque hæreticorum peruicacitatem, vbicumque se obtulisset occasio, publicè priuatimque conuellebat, ac etiam literis missis ad vesaniæ huiusce principes, per salutem suam ac ipsorum eos obtestatur, vt à sacrilegâ impietate resilientes, ad sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ sinum se reciperent. Quare pertinacissimi quique hæretici eum grauiter exosum habuerunt: ac præsertim Donatistæ, & qui Circumcelliones dicebanban-

Quorumcumque hæreticorum peruicacitatẽ D. Augustinus conuellebat.

Augustin. Epist. 50.

bantur, cum de medio tollere variis artibus ſunt conati, docentes publicè, cum velut lupum iure occidendum eſſe; quin & Deo ſacrificiũ ſic offerri, & ei qui hoc perfeciſſet, omnia peccata remittenda. Accidit etiam, vt ad viſendas Eccleſias pergentem armatâ manu ſub inſidiis in viâ expectauerint: ſed Dei prouidentiâ effectũ eſt, vt itineris duce deuiante, per occultiores ſemitas quem petebat locũ incolumis Auguſtinus deuenerit. Quâ eorũ crudelitate intellectâ, Dei benignitati gratias maximas egit, paratus nihilominùs vitam cum ſanguine in tali cauſsâ profundere; ac proinde meritis haud eſt longè Martyribus inferior: ij enim præcipuè in ciuitate quâ necantur, Auguſtinus verò per vniuerſum orbem veræ fidei teſtimonium illuſtre perhibuit. Quare ſicut eſt amplioris meriti, fidẽ Catholicam ſanguine quàm verbo teſtari; ita viciſſim maioris eſt vtilitatis, hanc ipſàm in orbe toto, quàm in vrbe aliquâ tueri. Quamuis interim non tã Auguſtinus martyrio, quàm martyrium Auguſtino defuerit: quia non ſemel vitam pro fidei præſidio diſcrimini expoſuit, deſiderio ſalutis animarum & martyrij, vt nonnulli volunt. Quin & in Æthiopiam, vbi numeroſiſſima poſtmodum fuêre Ordinis huius monaſteria, prædicandi Euangelij, marty-

Poſſid. c. 9. Vitæ. P. Ribadineira.

Cap. 17. Enchirid.

S. Auguſtinus affectu & meritis Martyr.

Michaël Medina lib. 1. De Continen.

martyriique ſubeundi cauſſâ, vt antè diximus, Auguſtinus eſt profectus. Huc videtur reſpexiſſe Petrus Damianus: *Auguſtinus*, inquit, *vir beatiſſimus, nobilis genere, ſed nobilior moribus, ſpiritu ſuperbiæ pauperrimus, miſericordiæ affluens viſceribus, miſerorum conſolator mirificus, Chriſtum crucifixum ſequens nudum, mundo crucifixus: in cuius ore non eſt inuẽtus dolus, à ſummo Sacerdote prælectus, ſeipſum illi hoſtiam viuam inceſſanter offerens, in ipſo fonte pietatis ſuis affluens lacrymis, ab omni rubigine vitiorum immaculatus, nunc ſanctiſſimorum Præſulum ſtolâ indutus, coronam Martyrum multipliciter eſt conſecutus*, licet in corpore martyriũ haud ſit paſſus; Deo, ſic arbitror, prouidè ſtatuente, quòd ſciret eum doctrinâ, quàm ſanguine poſſe fecundiùs Eccleſiam ſuam irrigare, *quæ*, vt ipſe ait, *oppugnata priùs eſt à leone in tyrannis, deinde à dracone in hæreticis. Nec minor fuit hæc draconis perſecutio, quàm leonis: ſed quo modo leo victus eſt in Martyribus, ita draco proſtratus eſt in Doctoribus*, ac in primis Auguſtino, qui fortiſſimis argumentorum telis cum eo decertauit pro Eccleſiâ Catholicâ, quam veluti ſponſam à Chriſto commendatam acceperat.

Serm. De S. Auguſtino.

Vide ſup. lib. 2. c. 13.

CAPVT II.

Cur S. Augustinus Ecclesiæ symbolo decoretur.

MERITO eadem ipsa sacrosancta sponsa huius sæculi duces ac Imperatores imitata, qui strenuè militantibus gloriosa dant insignia, quibus benè meritorum virtus posteris innotescat; ipsum templi symbolo, quod manu portat, gratitudinis ergô decorauit: quòd videlicet assiduis lucubrationibus, dissertationibus, ac eloquentiæ flumine nefarios hæreticorum cœtus, Ecclesiæ Catholicæ præsidiis auerterit, ac eam indefessè propugnarit. Quæ caussa fuit Hieronymo, vt phrasi non absimili, quâ S. Paulus Christum vocat *fidei auctorem*, Hebr. 12. eumdem *fidei* appellet *conditorem*. Quemadmodum enim (vt veterum Romanorum triumphos prætercam, in quibus captarum vrbium imagines præferebantur) si quis Augustam ipsam ab exercitu, magno deditionis periculo obsessam in arce aliquâ, fusis fugatisque hostibus obsidione liberaret, is meritò, pro ciuicâ, donaretur Imperatricis effigie: credo similem ob caussam Augustinus Ecclesiam Christi tot errorum ac hæreseon machinis oppugnatam, cùm in libertatem magnâ ex parte asseruit; non debuit

D. Auguſtinus Eccleſiæ Catholicæ ſcutum.

buit non illius quam liberauerat, imò
quam (vt Auguſtus de Româ dicebat) ter-
ream acceptam, latericiam aureamque reli-
querat, ſimulacrum manu præterre, &
ipſius ſimul defenſor & cuſtos audire. Cui
rei confirmandæ, de theatro vitæ humanæ
afferunt, quòd morienti D. Ambroſio luci-
diſſimum e cælo ſcutum eſt in os viſum
deſcendere, quo veluti pretioſo ſalgamo
mirifice illum recreatum eſſe, eoque ſcuto
D. Auguſtinum fuiſſe ſignificatum aiunt:
eſt enim hæc vox diuina: *Dicite iuſto, quo-
niam benè, quoniam fructum adinuentionum
ſuarum comedet.* Et ſanè inuentio rei pretio-
ſiſſimæ fuit S. Ambroſio Epiſcopo, Augu-
ſtinum errantem adducere ad Eccleſiam
Dei, qui fuit eidem in omnibus bellis tam-
quam ſcutum ac propugnaculum, nullâ vi,
nullâ fraude aduerſariorum ſuperabile.
Quare cùm ſub extremum vitæ D. Am-
broſio rei huius obuerſaretur memoria,
tamquam ſuauiſſimo edulio recreatus fuit,
recogitans quòd ſuo labore ſuaque diligen-
tiâ tam validum clypeum Eccleſiæ Roma-
næ mediis hoſtibus eripuiſſet: eum ipſum
videlicet, ſub quo toties proſtrati iacuêre
hoſtes fidei, ac præ ceteris Felix ille prin-
ceps omnium Manichæorum. Is cùm ini-
tio parum feliciter defendiſſet opiniones
ſuas

P. Valder. in Theat. Religion.

Iſa. 3.

Auguſtin. lib. 2. cont. Felic. Manichæum in fine.

ſuas in publico congreſſu, excipientibus diſputationem Notariis; ad extremum Manichæorum hæreſim eiurans, Catholicorum partes eſt ſecutus. Quo poſtmodum Felice ſuoſmet complices, quibuſcum antè ſenſerat, oppugnante, tantum hæc impietas per eam regionem eſt compreſſa, vt nemo deinceps in publico eius patronum ſe præſtare, vel Auguſtinum in arenam prouocare fuerit auſus. Quem timorem auxit Fauſtus in primis Epiſcopus, huius perfidię iam pridem doctor, quem ipſe viciſſim Auguſtinus triginta ſcriptis in eum libris ita confutauit ante Præſidem, vt eiuſdem lege iuſſus ſolum vertere, quamuis pœnâ infra meritum, ex Africâ ſit in inſulam relegatus.

CAPVT III.

D. Auguſtinus Epiſcopus ægerrimè diœceſim egreditur.

HIS ergo tam vtilibus occupationibus intentus Auguſtinus, cùm & hoſce lupos ab ouibus ſuis arceret; ſuoque gregi de paſcuis ſalubribus proſpiceret, ægerrimè diœceſim ſuam egrediebatur: eoſquePaſtores qui nonnumquam iuſto diutiùs aberant in aulâ Carthaginenſi, grauiter incuſabat, dicens „Paſtorem numquam debere, niſi forſan ob iuſti ponderis rationem, ſuis oui-

Vbi oues, ibi pastor. bus abesse, propter ea damna, quæ solent Episcoporum absentiam subsequi. Et cùm amicus quidam obnixiùs eum rogaret, vt Carthaginem proficisceretur, quâ in vrbe complures Episcopi moram trahebant: respondit ille, non ita se liberum à negotiis & expeditum esse, vt tempore abundaret; sed neque sibi dignitatem Episcopalem obtigisse, vt subditorum curam negligeret: quin & ampliùs vereri, quantamuis adhiberet diligentiam, ne supremi iudicij die negligentiæ argueretur. Addebat, Carthaginem salutem haud posse conferre, neque Proconsulis curiam apud Deum excusare Episcopum illum, qui Ecclesiæ propriæ curam remisisset. Egrediebatur tamen subinde, videlicet cùm non ambulandi cupido, verùm Conciliorum indicta dies, aut commune Reipub. bonum, aut mutua caritas iter suscipere suaderent.

CAPVT IV.

Legatione fungitur ad Imperatorem Honorium contra Donatistas: quibus reducendis etiam Episcopatum eis cedere paratus erat.

QVARE inualescente hæreticorum feritate, ipse cum aliis Orthodoxę communionis Episcopis ad Imperatorem Honorium legationem contra Donatistas accepit;

cepit;qui multis iniuriis,ac præſertim SS.librorum exuſtione Catholicos diuexabant. Auguſtin. Epiſt. 50. ad Bonifac. Legationis autem hæc erat ſumma:Quandoquidem amicis hortationibus huc vſque nihil vel exiguum promouiſſent,vellet Imperator hæreticorum genus peruicaciſſimum ſeueris legum pœnis coërcere. Quod cùm non difficilè impetraſſent, & Imperatoris edicto prohiberentur bonis ſuis heredem aliquem inſtituere, nec omnino poſſent teſtamento aliquid donare vel acquirere, adeoq́ue contrahere cum aliquo vetarētur;adhæc exilio ceteriſq́; id genus pœnis multarētur;eorum non pauci,ſeueritate legum compulſi,Donatum valere iubētes,ab Orthodoxis ſtetêre. Quam etiam ob rem ipſe Auguſtinus, qui priùs ſenſerat hæreticos ad religionem cogendos non eſſe; mutatâ ſententiâ, tum ipſis tum ſchiſmaticis benè conſulere docuit Catholicos Principes,qui pœnarum & legum grauitate, tamquam camo & freno maxillas eorum conſtringunt. Pſal. 31. Quamuis enim pręfractè quidam ex eis reſiſtant, tamen *magna* populorum Epiſt. 50. ad Bonifac. agmina,vera *mater in ſinum gaudens recipit*; *& vbicumque* gentium duriora ſub initium Catholici pertulêre ſupplicia, linguæ videlicet,oculorum,manuum,& vitę iacturam, *ibi feruentiùs Chriſtiana vnitas profecit, &*

laudatur Dominus, qui dedit vt serui eius passionibus lucrarentur fratres suos; & oues eius mortifero errore dispersas extra cœtum communionemque Innocentij Romani Pontificis, *in pacem salutis æternæ suo sanguine congregarent.* Conati sunt nihilominùs eorum nonnulli (quæ pessimorum hominum sunt ingenia) in inuidiam vocare, quæ iustissimè fuerant ab Imperatore decreta. Nec defuêre qui dicerent, Honorij leges auaritiam olêre, quòd ipsius edicta bonorum proscriptioně continerent. Contra quos Augustinus, non res eorum, sed eos se quærere dicit. In cuius rei testimonium Crispino Donatistæ, nec non aliis quibusdam cum illo damnatis hæreseos, iussisque pendere in mulctam x. auri libras, à Principe indulgentiam impetrauit. *Vtinam*, scribit, *Catholici fiant, & non solùm quæ dicunt sua, sed etiam nostra nobiscum in pace possideant.* Ardenti namque emendationis eorum affectu inæstuans, optabat talibus Episcopis ad veritatem Catholicam reuersis, etiam suummet Episcopatum cedere: quod eius operâ diligentiaque sic persuasum fuit Concilio CCC. Episcoporum Religionis Catholicæ, vt vix duo sentětię eius refragarětur: *Quid*, inquit, *dubitamus Redemptori nostro sacrificium istius humilita-*

Lib. de gestis cum Emerito, circa medium.

militatis afferre? an verò ille de cælis in humana membra descendit, vt membra eius essemus: & nos ne ipsa eius membra crudeli diuisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Si serui vtiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus inuidemus? Neque id mirum cuiquam videri possit, cùm is Episcopali dignitate non ad suum vnius commodum, sed ad vtilitatem populi fungeretur.

Caput V.

Inter Episcopatus molestias anhelat ad quietem monasticam, fratresq; Eremitas subinde leuaminis caussâ inuisit.

INTERIM anhelabat frequenter ad gratissimam quietem, suauissimasque solitudinis, quam tunc reliquerat, delicias; tum propter mille negotiorum molestias, tum propter tanti muneris sarcinam laboriosam, de quâ rationem strictam Deo redditurum se nouerat. Ita se fatetur affectum Serm. XXIV. De tempore, Domin. III. Aduentus, quâ die fuit initiatus: sic & in Confess. libris: *Conterritus peccatis meis & mole miseriæ meæ, agitaueram in corde, meditatúsque fueram fugam in solitudinem.* Atqui dum in hac deliberatione versaretur, reuocatus est hac Domini voce: *Ideò pro omnibus* Li. 10. Cōfess. c. 63.

bus Christus mortuus est, vt qui viuunt, non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Cui quantocyùs ille respondit: *Ecce Domine, iacto in te curam meam, doce me & salua me. Ille tuus Vnicus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, redemit me sanguine suo,* &c. His sæpè sæpiùs altiusque secum repetitis, in Episcopali suâ functione perstitit: neque tamen Eremiticæ familiæ affectum vel curam deposuit, sed è subditis dignissimos quosque vicarias pro se partes agere iussit. De quibus cùm plures ad Ecclesiastica munia obeunda è monasteriis à sese fundatis euocarentur, isti vnico monasterio, quod erat in solitudine, germanum suum fratrẽ Nauigium præfecit: qui adhuc infantulus Christiano ritu baptizatus pieque educatus, Monicæ suæ matri in omnibus itineribus comes fuerat. Hos in eremo fratres indissolubili amoris affectu prosecutus Augustinus interdum ad se euocauit, vt gratâ pręsentiâ solitoque cum eis colloquio frueretur. Qui dum multiplices huius vitæ timerent insidias, neque tutò se dicerent Religionis arcem exire posse; rogauerunt inuicem S. Episcopum, vt ad se potiùs ventitaret, paternamque benedictionem impenderet. Igitur vir sanctus eorum votis acquiescere coactus, visebat eos subinde, deque

Lib. I. c. 2. De ordine. Lib. De Vitâ beatâ, sub principium. F. Baptista Alouisian⁹.

deque rebus cæleſtibus cum eis ſermones faciebat, exhortans eoſdem, vt ad virtutum perfectionem contenderent, & in earum exercitio conſtarent, neque inſtar vxoris Lothi retrò verterentur; ſed eouſque in agone præſenti contenderent, dum æternæ vitæ brauîum conſequerentur. Porrò ne quid eis deeſſet eorum, ſine quibus hæc vita non ducitur, paterno amore prouidit: quemadmodum etiam ante ipſum Valerius fecerat Epiſcopus: qui (vt eâ tempeſtate Epiſcopi monaſteria fouebant, ſuis ea fortunis ac prouentibus fermè ſuſtentantes) Eremitas Auguſtinianos quamplurimis beneficiis affecerat; ac præ ceteris partem bonorum ſuorum in extructionem monaſterij contulerat: ad quam rem perficiendam omne Auguſtini patrimonium nequaquam ſufficere poterat. Eò loci ſodales cohortatus ad obedientię, paupertatis, caſtitatis, & mutui præſertim amoris exactam obſeruationem: ceu refectis hoc amico congreſſu & angelico colloquio viribus, ad intermiſſos officij ſui labores, atque ad inchoatum cum hæreticis certamem vegetior lætiorque redibat Auguſtinus.

S. Antonin. 3. par hiſtor. t. 24.

Serm. De triplici genere Monachorum.

Capvt vi.

Augustinus respondet Cresconio hæretico, vitiligatori.

Cvm autem Cresconius quidam Grammaticus, ac Donatistarum acerrimus defensor, liuore tabescens videret, indies Augustini operâ plures ex hęreticorum stationibus ad castra transire Orthodoxorum, non veritatis inquirendi studio, sed aduersandi libidine, dę Grammaticæ regulis Augustino quæstiunculam ausus est proponere; contendens, eos qui cum Donato sentiebant, non Donatistas sed Donatianos esse vocandos: aiebatque Græcorum id sapere loquendi morem, apud quos ab Euangelio sunt Euangelistæ nominati. Cui Augustinus Demosthenis obiiciens auctoritatem, qui rerum quàm vocum studiosiores esse oportere monet: *Nostra*, inquit, *non in expolitione sermonis, sed in demonstratione veritatis est maior intentio.* Hæc ipse: quæ, vt rectè sentit Baronius iure dici possint in sciolos nostri temporis, a quibus hæreses emanauêre; nimirum à collegis Cresconij, verborum vitia sugillantibus, nouatoribus hæreticis, sine Scripturâ diuinâ Theologis, Apostolis sine miraculis, absque verâ Fide Religiosis, ex Grammaticis factis statim Euan-

Lib. 2. cõtra Crescon. cap. 1.

Tom. 5. anno 405.

Euangelij interpretibus, ministris Ecclesiam destruentibus, censoribus orbis, orbatis mentis oculis.

CAPVT VII.

Radagaysio Scythâ cæso, altiori Dei prouidentiæ victoriam adscribit D. Augustinus.

EA tempestate CC. millium exercitu Radagaysius Scytharum immanis Tyrannus in Italiam irruptionem fecit, & iam spe Romam præceperat, libaturus Romanum sanguinem Ioui, cui indies sacrificabat: cùm ecce tam ingentes copiæ, nullo Romanorum militum desiderato, ad internecionem sunt deletæ. Quam victoriam cùm humano sensu vulgus æstimaret, Augustinus altiùs expendens, Dei miram in eâ beneuolentiam obseruauit, quæ Romanis peccantibus horrendam à Scythis cladem est interminata; & ne tot animæ ludibrio fierent hostibus, cederetque ingens auerno victima, quæ vicinior erat pars iniuriæ, hanc è medio sustulit. Cùm grauiore supplicio prauos hominum mores punire statuisset, *indignationem*, inquit, *suam mansuetudine temperauit, vt illum primò faceret mirabiliter vinci, ne ad infirmos animos euertendos gloria daretur dæmonibus.*

Anno 406. Serm. 29. in Lucam, & lib. 5 De ciuit. c. 23.

CAPVT VIII.

Docet legem in hæreticos morte Stiliconis non esse abrogatam.

VIDEBANTVR iam Donatistæ nonnihil respirare morte Stiliconis, quem existimabant auctorem legis quæ fuerat in hæreticos decreta. Itaque fidenter clamitabant derogatum esse tam crudeli edicto, se nullis pœnis obnoxios esse, Catholicos sibi nequidquam insultare. Quod vbi Augustinus intellexit, Olympium adiit Magistrum officiorum in Africâ ab Imperatore constitutum, ab eoque contendit, vt eam legem quæ à Theodosij magni filio profecta fuerat, haudquaquam abrogatam esse, ac etiam tum à morte Stiliconis ratam esse ostenderet. Vnà quoque precibus egit apud Donatum Africæ Præfectum, vt vltimarum legum obseruationi operam nauaret: quod ille quidem procliuis in hoc suapte naturâ perfecit, atque hæreticorum cœtus, pœnarum acerbitate compescuit.

CA-

CAPVT IX.

Vrbs ab Alarico diripitur: id D. Augustinus infidelium sceleribus tribuit, Catholicorum verò pietati quòd non planè sit deleta. Hinc occasio data scribendi libros De ciuitate Dei. Lib 2. Retract. c.43.

ANNO decimo supra quadringentesimum, ad IX. Kalendas Septembris ingruit horribilis illa belli tempestas, quâ vrbem Romam obruit Alaricus Rex Gothorum, eamque militibus suis diripiendam tradidit. Qui licet hæresi Arianâ essent imbuti, nec non sectarios omnes immanitate antecellerent, tanto nihilominùs honore sunt Romana templa prosecuti, vt non eis solùm pepercerint edicto Imperatoris, verumetiam quotquot fuerunt in ijsdem per fugam elapsi. Quin etiam quòd mirum videri potest, quantumuis essent auri atque argenti sitientes, tamen sacrâ supellectile manus abstinuerunt: & quædam vasa, quæ à quibusdam clandestinè surrepta fuerant, exertis vndique contra barbarorum impetum mucronibus, non sine pompâ templis suis restituerunt. Virgines quoque (rarum exemplum victoriæ, quæ naturâ insolens est) illibatæ mansère. *Huc vsque* (ait Augustinus) *cruentus sæuiebat inimicus, & ibi accipiebat*

Romana tēpla magno in pretio etiam apud immanes Gothos.

Lib.11.De ciuit. Dei cap.1. & 7.

cipiebat limitem trucidatoris furor. Hanc prorſus infandam cladem cùm gentiles in Christianam Religionem immeritò conferrent, S. Auguſtinus contrà cùm priuatim tum publice pro concione docuit, ex infidelium impietate hanc calamitatem fluxiſſe. Quòd verò non penitus vrbs deleta ſit, id Orthodoxæ fidei cultoribus tribui debere. Præbuit ea res materiem Auguſtino, vt multarum lucubrationum XXII. libros De ciuitate Dei conſcriberet. Quod verò pietati cruentos inter gladios locus aliquis inuentus ſit, *hoc*, inquit, *Chriſtiano tempori, hoc Chriſti nomini tribuendum, qui truculentiſſimas mentes illas mirabiliter temperauit.*

Lib. 1. De ciuit. Dei cap. 7.

CAPVT X.

Improbat D. Auguſtinus indulgentiam Honorij in hæreticos.

CVM verò Attalus imperio per tyrannidem occupato, maiora in dies minaretur, eſſetque Africa non in mediocri diſcrimine, ſi tot edictis Donatiſtæ prouocati, pro tyranno viribus agerent; diſſimulans aliquantulùm Honorius Imperator, humanâ, (quæ Deo eſt inimica) prudentiâ Donatiſtis permiſit, vt quam vellent Religionem amplecterentur. Quæ indulgentia deſijt, ſuaſu præſertim Auguſtini & aliorum

Rom. 8.

rum Episcoporum, cùm ab Attalo quæ timebantur pericula cessassent. Quare Imperator, *Sciant*, inquit, *omnes sanctæ legis inimici*, (sic hæreticos nominat) *plectendos se pœnâ proscriptionis & sanguinis, si vltrà conuenire execrandâ sceleris sui temeritate tentauerint.* L. 51. De hæres. C. Theo.

CAPVT XI.

D. Augustinus præsidet Concilio Carthaginensi, ad quod Catholici & Donatistæ magno numero conueniunt.

HVNC igitur in modum exasperatis hæreticorum animis, cùm præter cetera quibus Catholicos afficiebant mala, calce etiam & aceto non paucorum oculos excæcarent, omni rursus ope contendens Augustinus, vt aliqua ratio quietis iniretur ab Honorio impetrauit, vt ad colloquium eo postulante vocarentur. Igitur Catholicorum Episcopi CC.LXXXVI. Carthaginem veniunt, vbi locus indictus, summâ modestiâ & grauitate considentes: Donatistæ non infrequentes, C.LIX. Episcoporum turba eódem concurrunt, festinoque impetu Thermas Gargilianas petunt: non autem Ecclesias Catholicorum, quòd eas dicerent cacodæmonis esse synagogas. Huic omnium celeberrimo conuentui Augu- August. ad Donatist. post Collat. cap. 25.

Augustinus non solùm interfuit, verumetiam præfuit; cuius quoque breuiarium est ab eo conscriptum, quod etiamnum extstat, & per Ecclesias Africę Quadragesimali tempore legi solebat in Orthodoxæ plebis confirmationem, & perpetuam tantæ victoriæ, per Catholicos Episcopos, Augustinum in primis, memoriam. In eo coacti sunt Donatistæ fateri, vnam esse Catholicam Ecclesiam toto orbe diffusam, à quâ nemo sine salutis interitu separatur, eamque non sic infici posse vitiis hominum perditorum, vt sancta atque Catholica desinat esse. Hanc eamdem cùm à Pontifice Romano semper administratam fuisse Augustinus euinceret, haud vltrà sibi temperantes seditiosi homines, propter innatam eorum animis contentionem atque fastum, non in Marcellinum tantùm, qui Cognitoris ibidem officio fungebatur, verumetiam in ipsius Christi Vicarium contumeliosè sunt debacchati. Neque tamen nulla vtilitas conuentum istum secuta fuit, nam illis sectæ ducibus obstinatâ voluntate renitentibus veritati, facta est ad Orthodoxos aliquot millium è popularibus, quin & Episcopis accessio: quæ res tum operæ pretium attulit, tum Augustino præ reliquis magnæ voluptati fuit.

P. Ribadineira.

CA-

CAPVT XII.

D. Augustinus acerrimis scriptis Pelagium insectatur.

CVM eodem anno Pelagius in Ægypto diuinæ gratiæ inimicus doctrinæ suæ virus quaquauersum diffunderet, confestim in eum D. Hieronymus insurrexit: sed Augustinus nequitiâ sectarij nondum perspectâ, quòd eam sanctitatis ementitâ specie, & religiosâ veste celaret; mitiùs cum eo primùm egit, eum tamen exutum personâ postquam inspexit, tam crebris validisque argumentis confecit, vt alium neminem annos decem infensiorem aduersarium senserit. In eum scripsit lib. tres, de Peccat. merit. deque Baptismo paruulorum; Pelagij discipulorumque eius suppresso nomine: ratus id ad commodiorem salutis eorum rationem pertinere. Lib. 2. Retract. c. 33.

CAPVT XIII.

D. Augustinus varia in hæreticos molitur.

SIMILI pietatis ardore perfecit apud Marcellinum, quem suprà nominauimus, vt actiones in Donatistas habitæ, cótra eos qui conscientiâ scelerum conuicti fuerant atque confessi, publicarentur; vt vel sic affecti pudore ad saniorem mentem redirent.

rent. Adhæc nequissimorum quorumdam sectariorum peruicaciâ (cum hæreticis enim , primâ velut tincturâ sic errore imbutis, benigniùs agendum putabat,proque eis aliquamdiu intercessit) qui postquam in conuentu palàm caussâ cecidissent, nihilominùs obfirmatis animis in errore perstabant,commotus Augustinus effecit,vt pœnas ab Imperatore statutas omnino penderent;ac in primis vt facultates Ecclesiasticas

Tract.6. in Ioan. sub. finem. per vim ablatas restituerent. *Veniant*, inquit, *ad Catholicam, & nobiscum habeant non solùm terram, sed etiam illum qui fecit cælum & terram.* Inter hæc Fortunio cui-

Epist. 163. dam, Donatistarum Episcopo , non procul à Cirthâ (quæ Numidiæ fuit vrbs munitissima) vehemẽti disputatione verum Ecclesiæ sensum persuadere est conatus:& Volusiano inter Romanos valdè nobili Epistolam scripsit,in quâ dubitationes soluit,quæ eum ne Christianus fieret remorabantur: quem non multo pòst ad Christi sacra pertraxit, asserentem (mirum ! sed Volusiani

Epist. 2. dandum hoc affectui) *Dei legi deesse, quidquid Augustinum contigerit ignorare*; quasi dicat, Augustinum intellectu suo assecutum,quidquid in Dei lege includitur.

CA-

CAPVT XIV.

D. Augustinus scribit contra Pelagium & Cælestium: item librum De orando Deum, & Bono viduitatis.

NITEBATVR tum Pelagius occultis machinis sanctâ virginem Demetriadem (de quâ suprà) in suam hęresim pertrahere: quâ fraude intellectâ, S. Augustinus in eum, & primum eiusdem erroris defensorem Cælestium, totis viribus se conuertit, misitque instar antidoti Epistolam ad Iulianam eius matrem, quâ Pelagianam hæresim velut spongiâ tersit. Adhæc librum composuit De gratiâ Christi, tum in Pelagium, tum in Cælestium (scelestum potiùs dixeris) eiusdem sectæ patronum, summus post D. Paulum diuinæ gratiæ encomiastes. Lib. 2. c. 17 P. Ribadineira.

Cùm verò id temporis sancta Proba esset in Africâ, petiit à S. Augustino, quē sciebat eximium in Ecclesiâ Doctorem, De orando Deo commentarium, quem & impetrauit: itemque ipsa Iuliana benè vsa matris occasione, similiter Augustinum interpellans, De bono viduitatis tractationem accepit; in cuius propemodum fine, *Ordinatissimè*, inquit, *prouenit, vt matri vestræ iam grandæuæ de oratione Epistolam scriberem: ad* Et Epistola 121.

ipsam quippe maximè pertinet orando concertare pro vobis, quæ de se minùs est sollicita quàm de vobis; & vt ad te potiùs quàm ad illam, hoc de continentiâ viduali opusculum facerem, quia tibi superare adhuc restat, quod iam ætas illius superauit.

CAPVT XV.

Scribit D. Augustinus in Donatistas, in Pelagium, Priscillianistas, Origenistas: adhæc prosequitur libros De SS. Trinitate, & Ciuitate Dei.

Donatistæ violentas sui manus consciscunt. IAM eò vesaniæ processerant non plebeij tantùm Donatistæ, verumetiam Episcopi, vt se præcipitio deiicerent potius, vel aquâ, vel igni, vel alio modo violentas sibi manus consciscerent, quam lege ab Honorio latâ templa Catholicis restituerent, vel solum verterent Itaque Augustinus rursus in eos calamum strinxit, eoque vehementiùs, quòd illi pro sui erroris tutelâ, ad Dulcitium Imperatoriæ mulctæ Curatorem duos libellos scripserant, quos totidem ille libris refutauit: ac etiam pluribus deinceps pro re natâ respondit Dulcitio se consulenti, & hæreticorum tot repentinis cladibus ancipiti; conclusitque, *Melius, pluribus redintegratis, quidam suis ignibus pereant,* Epist. 61.

eant, quàm vniuersi sempiternis gehennarum ignibus merito sacrilegæ dissensionis ardeant. Quamuis, vt alibi ad Gaudentium, non Catholici, sed ipsi seipsos in mortem adigerent: *Mitiora enim*, inquit, *in vos consti-* Lib.1. c.19. *tuit Imperator propter mansuetudinem Christianam, exilium vobis voluit inferre, non mortem. Sed vos homines docti considerantes quid debeatur merito, & quid minus sit in supplicio; non de iudicio illius, sed de vestro additis mortem.* His addo, eiusdem libro De naturâ & gratiâ contra Pelagium composito, Primasium & Iacobum Pelagianos ad Ecclesiam Catholicam accessisse. Commentarium etiam fecit accuratissimũ contra Priscillianistas & Origenistas ad librum quem ab Orosio oblatum acceperat. Cùm verò Priscillianistæ periuriorum inuolucris fallerent, seque tales esse quales erant, sacrilegè inficiarentur: inuenti sunt qui dicerent, licitum esse mendacia mendaciis prodere, & mentiri seu fingere Priscillianistas se esse: vt qui verè tales essent, ad maius fidei bonum detegerentur: quam men- Lib.2. Re- tiendi licentiam execratus est, euulgato ad tract.c.60. Consentium libro, quo nec in re quantumuis leui, Christiano homini mendacium permissum esse demonstrat; atque ita concludit: *Aut ergo cauenda mendacia rectè* Cap.7.

agendo, aut confitenda ſunt pœnitendo: non autem cùm abundent infeliciter viuendo, augenda ſunt & docendo.

Habebat id temporis iteratò præ manibus Commentarium de SS. Trinitate, & libros De ciuitate Dei, in quibus præter cetera, XXI. prauas quaſdam opiniones, quæ Hiſpaniam inuaſerant, vt de damnatorum poſt aliquam purgationem liberatione, de diaboli reſtitutione, eleemoſynæ ſolius ad ſalutem efficaciâ, & huiuſmodi tamquam virgulta quædam ex infelici trunco περὶ ἀρχῶν Origenis pullulantia, doctrinæ ſuæ falce reſecuit.

Cap.17.18. 23. 24. 26. & aliis.

CAPVT XVI.

Acta Synodi Dioſpolitanæ libro complectitur: & aliis quatuor libris quæſtionem de origine animarum.

Lib.1. cõt. Iul. cap.5. Lib.2. Retract. cap 4. & lib. De peccatorũ merit. c.24

DEVENERVNT in manus eius Acta Synodi Dioſpolitanæ, ſcripſitque de iis librum ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem. Quibus Actis quamuis Palæſtinæ Epiſcopos Pelagius fefellerit, eiurans hæreſim quam mordicus in animo retinebat; Romanæ tamen Sedis iudicium, *etſi conatus fallere*, ait, *vſquequaque non potuit.* Quare & Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum, quòd Pelagio fauere diceretur, malè

Li. De peccat. origin. cap.8. & 9.

malè apud Occidentales audientem, monuit vt lupum ouinâ pelle tectum fugeret; Epist. 225. librumq; ei misit, quem a Pelagij discipulis recens ad fidem Catholicam conuersis acceperat, cum aduersariâ quam fecerat responsione. Erat tum nata controuersia propter somnium nescio quod Origenis, animas sicut angelos quondam in cælo peccasse: verùm in humana corpora supplicij caussâ, tamquam in carcerem detrusas fuisse. Quamobrem Augustinus quæstionem Lib 2 Retract. c. 56. de origine animarum per Orosium Hieronymo proposuit: quam eadem animi dimissione sibi ab Hieronymo remissam, quatuor pòst libris doctissimè tractauit; docens cum eodem Hieronymo, animas dum creantur à Deo, corporibus humanis simul infundi.

CAPVT XVII.

D. Augustino prouincia demandatur communi nomine scribendi Synodicas ad Pontificem, & exscindendi Pelagianismum.

DAMNATA postmodum fuit conceptis Epist. 108. verbis Pelagiana hæresis, duobus in Africâ Conciliis, Carthaginensi & Mileuitano, quorum Augustinus non exigua Epist. 110. pars fuit. Quibus etiam in Conciliis insignem Reip. Christianæ nauauit operam,

ſcribens præter Synodicas epiſtolas, communi omnium voluntate, familiares quaſdam literas ad B. M. Innocentium Pontificem Romanum. Itaque cùm à celebratione duorum horum Conciliorum, totius Africæ Patres ad euellendum radicitus fibras Pelagianæ ſectæ totis viribus pro ſe quiſque incumberent; vnanimi ſententiâ huius rei principem Auguſtinum ſibi ſtatuerunt. Quem ille laborem quâ ſolertiâ, quaque animi contentione ſuſtinuerit, abunde ſcripta eius teſtantur: atque hoc ſanè conſtat, quòd, quemadmodum aliis à ſe ſcriptis libris præſtitiſſe ſcriptoribus ceteris iudicatur, ita hiſce quos contra Pelagium elaborauit, ſeipſum omnino ſuperaſſe videatur. Ad quorum excellentiam D. Proſper hiſce verſibus, de quibus infrà latiùs, alluſiſſe videtur:

Iſtius ergo inter cũctos qui de grege ſancto,
Inſanas pepulère feras, induſtria maior.

CAPVT XVIII.

Scribit varios libros, De peccato originali, De gratiâ Dei, De libero arbitrio, &c.

AVDIERAT Pelagium expoſtulare cum Catholicis, quòd ab iis falsò traduceretur, tamquam Baptiſmi ſacramentum infan-

infantibus denegasset: quare Augustinus scripsit in eum De peccato originis librum, in quo & Pelagium erroris conuincit, libellumque eius apologeticum destruit. Quod idem effecit libris De gratiâ Christi à se editis. Dedit quoque epistolam ad Paulinum Nolanum Antistitem, quâ præpurgatos voluit (Paulino crediderim hortante) ad sanam Ecclesiæ mentem reducere, qui errores Pelagij, antequam esset publicè damnatus, ibidē commorantes imbiberát.

In eamdem doctrinam libros octo elegantissimos exarauit contra Iulianum Episcopum Capuanum, qui Pelagiani erroris acerrimus defensor erat: ac deinceps annos complures hæreseos eiusdem nefandas reliquias est prosecutus, quibus tandem infatigabili eius studio, à toto orbe anathema dictum, & ab Imperatore exilij leges sunt decretæ. Ceterùm eumdem hactenus cum Pelagianis depugnantem, planè nouum, atque adeò contrarium certamen excepit, nempe aduersus eos qui liberum arbitrium penitus tollebant, omniaq; soli gratiæ Dei mortalium opera tribuebant, negantes extremo iudicij die secundùm cuiusq; actiones præmia distributum iri. Pelagiani verò è diametro huic errori aduersabantur. Itaque quo vtrumque dogma falsitatis argue-

Infatigabili Augustini studio, Pelagianismo anathema dictum.

ret, duos scripsit Commentarios, vnum De gratia & libero arbitrio, alterum verò De correptione & gratiâ. Adiecitque duas Epistolas ad Valentium, & monachos Adrumetinos hoc errore imbutos.

CAPVT XIX.

D. Augustinus perpetuus hæreticorum malleus.

QVAMOBREM meritò ab Ecclesiâ *perpetuus hæreticorum malleus* est vocatus. Vt namque malleo enses, hastæ, lanceæ, scuta, bombardæ, aliaque id genus arma bellica præparantur; ita præstantissimi huius Doctoris scientia vice mallei fuit Ecclesiæ, quo cusa sunt velut instrumenta bellica librorum, in eiusce contra sectarios defensionem Ac quoniam diuersissimæ surgunt hæreses, etiam varia sunt armorum ipsius, id est, scriptorum optimorum genera, quibus armamentarium Ecclesiæ ad quæuis belli tempora copiose est instructum. Aut forsitan dictus est malleus, quòd in bello soleat vsus esse malleorum, in eos qui veniunt duplicibus armis contecti: siquidem ingens vis est malleorum, nam & ferrum quassant atque contundunt, galeas diffringunt, cerebrum excutiunt; estque eorum armatura, qui fortes atque lacertosi cum

Cur D. Augustinus hæreticorum malleus.

cum aduerſario proximè congrediuntur. Talis hic noſter fuit, qui inimicos Chriſti in omnibus ſcriptis, quæ ab initio conuerſionis exarauit, non tantùm læſit eminùs, tamquam miſſilibus quibuſdam agendo, quod fecêre ſcriptóres aliquot; verùm etiam cominùs, atque adeò in publicis congreſſibus, Orthodoxâ ſpectante Eccleſiâ, veritatis deſertores ſolo ſtrauit. Hanc ob cauſſam ad huius inuicti Ducis noſtri pedes abiiciuntur hæretici aliquot, vel eorum præciſa capita, qui nondum inchoatâ diſputatione, ſe victos ab Auguſtino fateri debuere. Obſeruarunt quidam penitiùs in hymno iſto, quem cum Ambroſio cecinit baptizatus, ſingulis verſibus ſingulas hæreſes iugulaſſe reconditâ ſuâ quam à Deo receperat tectiſſimaque doctrinâ. Eamdem cùm Deus vellet euidentiori ſigno mortalibus innoteſcere, veluti ſcribit D. Proſper, columnam ardentem è cælo ſuſpendit; eâ deſignans ſoliditatem quâ fulcit Catholicam Eccleſiam, & ardorem quo eam protegit, hoſtiumque inanes ratiunculas, velut ſtipulas ignis abſumit. Sic & Rupertus Auguſtinum dicit eſſe columnam nubis, in quâ thronum ſuum poſuit Sapientia Dei.

In imaginibus ad pedes diui Auguſtini abiiciuntur hæretici aliquot, vel præciſa eorum capita.

In Chron. Valentin. & Neoth. Coſſ.

Lib. 7. De Spiritu ſan. cap. 19.

CAPVT XX.

D. Augustinus à Pontifice Romano legatur Cæsaream ad abusus nonnullos tollendos, maximè circa Missæ sacrificium.

Epist. 157. ad Optat. cap. 14.

HOc itidem anno CCCC. XVIII. Zozimus Papa legauit Augustinum Cæsaream Mauritaniæ ciuitatem, vt quasdam enatas in Ecclesiâ controuersias dirimeret. Quo in loco Emeritum Donatistam eiusce vrbis Episcopum, in Ecclesiâ, præsente non vnius opinionis multitudine, tam efficacibus argumentis conuicit, atque suâ (quæ etiamnum exstat) disputatione hæreticum oppressit, vt velut mutum & elinguem reddiderit. Quo tempore scripsit etiam librum De correctione Donatistarum; nullam procurandæ salutis quorumcumque demum hominum occasionem negligens; vtque idem præstarent reliqui, frequenter eos exhortans, *Nolite*, ait, *quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis à Christo: vnusquisque in membris Christi Zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? qui omnia, quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit; si emendare non potest, tolerat, gemit.* Et paulò pòst: *Si in domo tuâ ne quid peruersum fiat satagis: in domo Dei vbi salus posita est, &*

Lib. 2. Retract. c. 48

Tract. 10. in Euang Ioan.

Zelo Dei comedi decet.

& requies sine fine, debes pati quantum in te est, si quid fortè peruersum videris? Verbi gratiâ, vides fratres currere & inebriari velle, prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli tamen quiescere. Si amicus est, admoneatur leniter; vxor est, seuerissimè refrenetur; ancilla est, etiam verberibus cõpescatur; & si alienus est, non propterea omittatur corrigi; nã seruus accusatus est non quia perdidit, sed quia talentum sine lucro seruauit. Hoc zelo succensus, proq; concione vniuerso populo lacrymas excutiens, abrogauit ibi teterrimã lapidandi consuetudinẽ; pugnam videlicet, quam cateruam vocabant, quâ stato anni tempore ciues inter se diuisi ad mortem vsque lapidibus inuicem petebant. Sustulit etiam ante basilicas Sanctorum balandi morem, qui ex Gentilium superstitione irrepserat: item ferias quæ in Iouis honorem quintâ hebdomadis die agitabantur. Ad hæc in festis sanctorum Martyrum, conuiuij, chorearum, & citharæ abusum est insectatus. Alios etiam Catholicorum prauos mores in ipsomet ortu extinxit, eorum nempe qui negligenter rei diuinæ intererant, quique recedebant priusquam Missæ sacrificium absolueretur, vel sermones sub eo miscebant, vel de Missarum prolixitate quere-

P. Ribadineira Sixtus Senensis l. 4. biblioth. p. 387. Lib. 4. de doctr. Chris. c. 24 De diuersis ser. 115. De. S. Cyprian. ser. 3. &c.

Abusus circa Missæ sacrificium tollit.

Serm. 251. De Temp. querebantur: *Cogentes*, inquit, *Presbyterum vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi propter illorum gulam & auaritiam, quatenus vnus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluptates. Nolite, fratres mei dilectissimi, hæc facere, nolite hæc facientibus consentire: quia non solùm qui hæc faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, pereunt. Nolite in hominibus bibendo, nomina vestra delere de cælo. Sunt quidem multi, quod peius est, qui non solùm seipsos inebriant, sed & alios cogunt & adiurant, vt ampliùs quàm expedit bibant: & inde sæpè inter eos nascuntur iurgia & homicidia.*
1.Cor.6. *Ebriosi*, ait Apostolus, *& homicidæ regnum Dei non poßidebunt*, &c.

CAPVT XXI.

D. Augustinus maximam temporis rationem habuit, ad spiritualia lucra plurimùm intentus.

HIS omnibus quoad potuit radicitus extirpatis, bonos mores in vitiorum locum inuexit. Vt sanè sit admirandum, quemadmodum rebus à se gestis ipso hoc anno, quin imò per reliquos vitæ dies suffecerit. Sed nimirum vt temporis semper

parcis-

parcissimus extitit, *ita ne vel particula il-* Ecclesi. 14.
lius sine fructu eum præteriret, prouidit. Sciebat enim vir sanctus, hoc totum quod hîc viuimus, nundinationis esse instar, ideoq; dictum esse vnicuique nostrûm à Domino,
Negotiamini dum venio. Mira namque (vt Lucæ 19.
enucleatiùs hoc subiiciam) animaduertitur istorum hominum qui mercaturam faciunt industria, atque ij quidem nunc venditioni studiosissimè intendunt, nunc decidunt cum mercatoribus, nunc pecuniarum rationes ineunt, nunc cum vsurâ eas exigunt, nunc in tabulas accepti & dati referunt: quin adeò priùs cibum & potum differunt, quàm vt aliqua diei pars absque lucro effluat. Vnde Persius:

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!

An verò non est mercatui simillima hæc vita, in quâ vnusquisque etiam pauperrimus, tamen meritorum bonorum cumulo, vt Crœsus quispiam, aut Salomon cum omni gloriâ suâ, potest excrescere, dum quolibet temporis momento gradũ vnum gloriæ, eumque infiniti pretij valet promereri? Hæc sanè ratio monet circumspectè vigilare, ne breuissimo huius vitæ curriculo non perituras cælo diuitias negligamus: néve in hac vitâ quantumcumque breui, con-

conceſſum tempus in aliud expendamus, quàm in eas rationes quibus illæ cæleſtes
Li.11.Cõfeſſ c.2. Poſſi. c.24 Vitæ.
opes comparantur; Auguſtini exemplo, *qui in aliud nolebat defluere ſtillas temporum, quæ caro illi valebant*; in die laborans & de nocte lucubrans, vt Poſſidius ait.

Vnde quemadmodum harum rerum caducarum mercatoribus ineſt quædam inſatiabilis cupido, ſic & Auguſtinum iuſtitiæ virtutumque ceterarum eximius amor vehementer impellebat. Sic enim ſcribit
Serm.17. De verb. Apoſt.
ipſe: *Amanda iuſtitia eſt, & in iſtâ iuſtitiâ amandâ gradus ſunt proficientium*: quos vbi recenſuit, ſubiungit: *O amare, ô ire, ô*
Lib.1.De doct. Chr. cap.10.
ſibi perire, ô ad Deum peruenire; nimirum pietatis exercitiis: *nam ad eum qui vbique præſens eſt, non locis mouemur, ſed ſtudio &*
Poſſid.c.28
bonis moribus. Excerpſit hoc fine de vtroque Teſtamento ſanctiſſimam vitæ Regulam, atque inde codicem vnum fecit,
Tom. 6. conc. cont. Iud.
quem Speculum appellauit, vt in eo tam ipſe quàm ceteri veræ pietatis ſtudioſi, velut in ſpeculo contemplari poſſent, quantum ſibi de perfectionis ſeu virtutum omnium theſauro deeſſet: cui ſic inuigilabat, vt duriter cubaret, ac interdiu nocteque
Lib. 5. De ciuit. c.17.
ſeſe fatigaret, attendens, *quanta contempſerint, quæ pertulerint, quas cupiditates ſubegerint pro humanâ gloriâ, qui eam tamquam*

quam mercedem talium virtutum accipere meruerunt. Subditque: *Valeat nobis etiam hoc ad opprimendam superbiam, vt cùm illa ciuitas, in quâ nobis regnare promissum est, tantum ab hac distet, quantum distat cælum à terrâ, à temporali lætitiâ vita æterna, ab inanibus laudibus solida gloria, à societate mortalium societas Angelorum; à lumine solis & lunæ, lumen eius qui fecit solem & lunam; nihil sibi magnum fecisse videantur tantæ patriæ ciues, si pro illâ adipiscendâ fecerint boni operis aliquid, vel mala aliqua sustinuerint, cùm illi pro hac terrenâ iam adeptâ tanta fecerint, tanta perpeßi sint.* Atque ideò nullum declinabat laborem in iuuandis hominibus, nullam occasionem omittebat promouendi rem diuinam, vbique feruidus, vbique consilio & auxilio quoad posset, subleuans vnumquemque: nullum autem à se, quemadmodum Romanus ille Imperator, tristem rogatorem abire passus: in summâ, quouis erat tempore Augustinus.

Suet. in Vitâ. Bruf. lib. 5. cap. 13. De Vespas.

Capvt XXII.

Domus D. Augustini velut officina communis omnibus egenibus patebat, quos interdum pro re natâ monebat, quandoque præ intensione animi nimiâ non obseruabat.

Erat domus eius quasi quædam officina virtutum cuiusuis ordinis ac generis hominibus, ideoque cubiculi patebat ostium semper: quamquam interdum sic esset diuinæ lectioni penitus intentus (ad quam de fluctibus negotiorum ceu in portum se recipiebat) vt instar D. Ambrosij, semet exspectantes cum silentio, subinde non animaduerteret. Fuit in ceteris femina quædam honestiore loco nata, quæ cùm falsò traducta esset à quibusdam maleuolis, sanctum Episcopum adiit consilij gratiâ; ac nemine ad ostium reperto, subintrauit interiora domus, petiitque conclaue, in quo tum erat S. Augustinus, & honorem ipsi, vt par erat, maximum exhibuit. Verum ille studiis intentissimus, ne verbulo respondit, nec ad eam se conuertit. Mulier illud tribuens eius verecundiæ, vtpote qui nollet solus cum solâ loqui, vicinius accessit, cœpitque rem ordine referre, ob quam venerat: sed nec ita quidem responsum obtinuit, adeò vt citra vllum solatium discedens,

Lib. 6. Cõfess. cap 3.

B. Iordan. Sabellic. lib 2. de Exempl. cap. 6. Marul. 2. l. Exemp.

dens Augustinum postridie cogeretur in templo quærere, vbi eum rei diuinæ operantem inuenit: cui cùm illa magnâ attentione pietateque interesset, sub eleuationem sacratissimi corporis Christi, mente sublata fuit ante thronum SS. Trinitatis, vbi conspexit B. Augustinum inflexo capite, profundissimè de hoc mysterio disputantem, vnaque vocem percepit ad se delatam huiuscemodi: Augustinus eo tempore quo eum heri interpellare voluisti, fuit abreptus in contemplationem SS. Trinitatis; ideoque dum ei loquebaris, absens erat animo, nec ad interrogata respondit, ac ne quidem te adesse obseruauit: verumtamen ad eum reuertere, reperiesque erga te propensum ac beneuolum. Cui mulier oraculo cælesti obsequens, ab Augustino ex animi sententiâ consilium accepit.

Adhæc iis qui partes fouebant, erantque factiosi, cùm opportunitas esset, & ab ipsis interpellaretur, Dei timorem, eiusque legem sollicitè inculcabat: eosdem harum rerum fluxarum cupidos, vt æternæ vitæ stabilia bona diligerent, exactè instruebat; *peccantes coram omnibus arguens, vt ceteri timorem haberent*. Ac si quos priuatis odiis dissidere vidisset, ad concordiam inducebat; id præsertim cauens, vt nemo simulta- Possid.c.19

Q te

te nondum depositâ, sanctissimam Communionem adiret. Omnia enim prætermittenda dicebat, atque adeò ipsum munus apud altare dimittendum esse, quò parti læsæ quamprimùm fiat satis. Quâ de re,
Serm. 16. De verbis Domini. *Te*, ait, *quærit Deus magis quàm munus tuum. Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quàm quod tu inuenisti in horreo tuo.*

CAPVT XXIII.

Rogatu Pontificis varios libros scribit contra deliria Iuliani. Et ratione Christi apparentis in Oliueto, scribit ad Hesychiū de iudicij die.

SCRIPSERAT Iulianus quidam Episcopus duas epistolas, quæ præter hæreses, etiam calumniis erant refertæ, quibus Orthodoxos, ac Romanam præsertim Ecclesiam prosciderat: quas epistolas Bonifacius Pont. Rom. per Episcopum Alipium misit in Africam ad Augustinum, vt eas contrariis scriptis refutaret. Cuius voluntati promptè morem gerens, scripsit aduersus
Lib. 2 De nupt. & concup. cap 1. eas libros IV. disertissimos, quos ad ipsum Pontificem misit, vt *eius probarentur auctoritate, qui altiùs præsidens, alta non sapit.*
Cap. 1. cōt. 2. Epist. Pelagian. Cum verò idem Iulianus nouus hæresiarcha aduersus commentarium D. Augustini De nuptiis & concupiscentiis, IV. virulen-

rulentos euomuiſſet libros, non tantùm poſteriorem pro ſuâ defenſione ad Valerium comitem edidit librum, ſed & in eoſdem Contradictorios ſex libros conſcripſit. Erat id temporis Vitalis quidam Carthaginenſis ex Pelagij dogmate, qui diceret Infidelibus proponendam quidem veritatis doctrinam, ceterùm credere, vel non credere, ex eorumdem pendêre arbitrio, non autem ex præueniente eos gratiâ, nec pro iis idcircò preces ad Deum fundi oportere: ad quem eruditionis plenam epiſtolam Augu- Epiſt. 107.
ſtinus ſcripſit, quâ contrarium huic errori euidentiſſimis argumentis demonſtrauit. Vbi autem in aliâ (quæ ordine ſexta numeratur) Carthaginenſi Synodo, de iure appellationis ad Romanum Pontificem (quod vnà cum Eccleſiâ Romanâ cœpit) agi vidit Auguſtinus; hanc conſuetudinem firmiter retinendam aſſeuerans, poſt argumenta complura ſubdit: *In Romanâ Eccleſiâ ſemper* Epiſt. 161.
Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus. In & 162.
hoc (ſeu vt quidam variant, alio proximo) Carthaginenſi Concilio Canonem de libris diuinæ Scripturæ aſſerit Auguſtinus Epiſt. 235.
fuiſſe declaratum: qui idem planè eſt cum eo, quem Concilium Tridentinum ſeſſione quartâ enumerat, quemque idem Auguſtinus huic Synodo præſens, lib. De do- Lib.2.c.8.

ctrinâ Christianâ recenset. Per eam tempestatem ciuitatibus non paucis terræmotu collabentibus, Redemptor humani generis in Olueti monte Ierosolymis vicino, de nube manifestè videndum cunctis sese obtulit: ac in vestimentis eorum, qui hoc timore correpti Baptismum acceperunt, crux Seruatoris cælitus impressa continuò refulsit: cuius occasione crucis, & verborum quorumdam, quæ ab Angelis Actor. cap. 1. fuerunt dicta, non modica inter viros doctos de extremo iudicij die mota est quæstio: quam quidem nondum adesse, prolixâ disputatione Augustinus ab Hesychio consultus demonstrauit, redarguens eiusce temporis nouissimi plus æquo sagacem exploratorem.

Marcellin. in Chron. Monaxio & Plintâ Coss.

Epist. 79. & 80.

Caput XXIIII.

Vincentium Victorem & Leporium hæreticos erroris conuincit S. Augustinus.

Non procul à Carthagine, cùm per quemdá regiæ domus œconomum, Vrsum nomine, Manichæi quidam (Catharistas vocabant) ab Episcopis ad tabulas audirentur, D. Augustinus qui præ ceteris illam execrabilem sectam exploratam habebat, *eorum prudens damnabiles blasphemias, ad confessionem earumdem Catharistas per-*

Possid. c. 16

perduxit. Sub idem tempus in Africâ (quæ, vt est in prouerbio, noui semper aliquid parit) noui erroris assertor Vincentius Victor diabolicâ prorsus illusione, animas hominum non ex nihilo, sed velut quasdam Dei particulas ex diuinâ creatas esse substantiâ, in vulgus effutiuit. Quam emergentem ab inferis hæresim, velut inflammatam nubē, contrariis in aëra impressionibus dissoluit IV. libris conscriptis, quibus se Vincentius victum fassus, emendationis suæ testes literas Augustino misit. Eodem tempore Leporius quidam hæreticorum audacissimus, D.P. Augustini, & Galliæ Doctorum operâ, ab hæresi miscellaneâ ad fidem Catholicam est conuersus.

Lib. 2. Retract. c. 56.

Gennad. de Vir. illust. 59. in Leporio.

Caput XXV.

Scribit D. Augustinus parænesim ad Bonifacium Tribunum: agit contra raptorem virginis: cum Maximo & Pascentio Arianis disputat: & præcipit eidem Bonifacio, vt abstractum sacris altaribus restituat.

Venerat in Africam Bonifacius, Thrax genere, Tribunus militum, rerum bellicarum gloriâ illustris; quo fuit Augustinus vsus perquam familiariter, ac præter alias literas, ad eum paræneticam misit Epistolam, quâ Christiani hominis

vitam breuiter complexus, licere, ait, eidem ad publicam pacem tuendum, arma capeſſere; vnaque de temperantiâ ſeruandâ mo-
Epiſt. 205 nitionem adiungit; *Valdè* dicens *turpe eſſe, vt quem non vincit homo, vincat libido; & obruatur vino, qui non vincitur ferro.* Dein vbi oſtendit, quàm ſit vtile hæreticos moderatè per leges coërceri; magnopere ait ſibi gaudendum eſſe, quòd Eccleſia Africana, ſe Epiſcopo, longè meliori loco quàm priùs eſſet. Eodem autem Bonifacio Gothis inibi militibus Præfecto, cùm eorum quidam Virginem Deo ſacram rapuiſſet; Auguſtinus, quâ pollebat auctoritate, egit cum Bonifacio, vt in raptorem grauiter
T. 2. Epiſt. 1. in Appēd. animaduerteret: nam *benè agere, & illicita non prohibere, conſenſus erroris eſt.*

Eiuſdem Gothicæ nationis Arianâ labe infecti Maximus Epiſcopus, & Paſcentius Comes rerum proſcriptarum exactor, in tantum proceſſerant audaciæ, vt ad diſputationem non dubitarent Auguſtinum laceſſere: quem & ſecùs quàm rati erant, ad pugnam promptiſſimum & longè ſuperiorem deprehendentes, hæreticâ nihilominùs loquacitate apud vulgus ſeſe victores eſſe iactitarunt. Sed Auguſtinus totius ſerie diſputationis per ſpectatiſſimos viros fideliter digeſtâ, fraudis hæreticos coarguit, pla-

planeque eorum iniustitiam detexit, atque etiam ad Pascentium literas complures dedit, contraq; Maximum libris duobus egit.

Confugerat quidam capitali scelere perpetrato ad Ecclesiam, in eâ velut asylo se tutum fore arbitratus: eum tamen Bonifacius per fas nefasque ab altaribus sacris abstractum ad pœnas repoposcit. Quod factum grauiter ferens Augustinus, Ducem increpuit, excommunicationis eum fulmine terrens: qui quamuis esset Dux militum, Ecclesiasticæ censuræ metu perculsus, non sine lacrymis erroris sui pœnitudinem animo c oncepit. Dein officiosè commendans eidem Bonifacio Castinum Romanum Consulem, vt is eum Italiâ profugum (quamuis ab eo antè multis iniuriis lacessitus) benignè suscipiat hortatur, proposito exemplo Christi Saluatoris, qui pro facinorosissimis Iudæis, à quibus erat in crucem sublatus, obnixè Deum Patrem rogauit. Subdit ad extremum, vt videat Bonifacius oppositu militum suorum, ne quid detrimenti capiat Africa Ioannis cuiusdam tyranni in eam hostili aduentu. Posthæc Cælestino, qui Bonifacio Pontifici Opt. Max. successerat, summam in Ecclesiâ dignitatem gratulatus, rogat ne Antonium Episcopum Fessulanum ob scelera desecratum,

Epist. 11. in Append.

Epist. 4 in Append.

tum, pristinum in locum velit restituere, quamuis ei hac de caussâ sit obnixè supplicaturus.

CAPVT XXVI.

Flagrat D. Augustinus incredibili amore iuuandi proximum.

SIC igitur vndecumque sese rectè facti alicuius occasio dedisset, incomparabili suo in Deum & homines amore perfecit, vt ne cuiquam defuisse videretur. Quin etiam veri pastoris munia liberaliter functus, suorum ciuium controuersias forenses com-
Possid.c.19 ponebat, ob quorum multitudinem per-
Enarrat. in Psal. 118. molestam, *suis* (conqueritur) *cupiditatibus vt occupemur, & ijs nostra tempora rebus eroganda diuinis impendamus, efflagitant*. Quare intendens in eis Christianorum momenta animorum, *aliquando vsque ad horam refectionis, aliquando ieiunus totâ die perstans*, semper autem, quoad poterat, iurgantes dirimens, in id totis viribus incumbebat, vt fœdæ altercationes, odia, simultates, pugnæ, aliaq; id genus mala quæ lites consequi solent, suâ auctoritate tollerentur: Dei videlicet gloriam & suorum popularium salutem anxiè consectans. Quos tan-
Rom. 9. topere amabat, vt instar D. Pauli optantis anathema esse pro fratribus, clamarit frequenter

quenter eos interpellans; *Nolo saluus esse sine vobis, Nolo saluus esse sine vobis.* In id directâ ferebatur intentione, nõ sordidum quæstum aucupans, non munera vel auram popularem captans, non eruditi cognitoris nomen affectans, nihil denique quod à sincerâ officij sui ratione posset aliò deflectere. *Tuum*, inquit, *Domine est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est & latro, & similis diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.* Et alibi: *Nullum dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus: quidquid enim tibi aliud dederit, minus est quàm ipse*, &c. Cap. 15. Soliloq. Serm. 32. De temp.

CAPVT XXVII.

Rerum caducarum administrationem D. Augustinus fugit, cælestibus intentus; ad quæ per minutissima quæque ascendit.

CETERVM hanc terrenorum contrectationem, vt nimis vilem animoque rationali diuinis rebus destinato indignam, auersabatur. Vnde & bonorum Ecclesiæ, & sui Episcopatus administrationem detrectabat, certis præpositis domus eam delegans: à quibus cuncta accepta & erogata notabantur, & annuè ratio exigebatur: vt quo in statu res essent domesticæ, sciretur; magis in his eorum fidelitati, quàm propriæ Possid. c. 24

innitens ſcientiæ, quam non ambibat. Vix enim aliquando ad iſta temporalia ſe dimittere poterat, animo vt ſemper diuina voluens: quorum contemplationi tantâ inhærebat auiditate, *vt triduum interdum ſine cibo potuq; in eâ tranſegerit; eius enim deſiderium non erat de terrâ, non de auro & argento, aut de lapidibus, aut decoris veſtibus, aut honoribus & poteſtatibus, aut voluptatibus carnis; neque de neceſſarijs corpori, & huic vitæ peregrinationis noſtræ*, ſed de Domino, *cuius nomen ei refocillatio, & memoria conſolatio. Ex quo enim*, ait, *didici te, manes in memoriâ meâ, & illic te inuenio, cùm reminiſcor tui, & delector in te. Hæ ſunt deliciæ meæ, quas donaſti mihi*. Et alibi: *Intrem in cubile meum & cantem tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione meâ, & recordans Ieruſalem extento in eam ſurſum corde, Ieruſalem patriam meam, Ieruſalem matrem meam, téque ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, maritum, caſtas & fortes delicias, & ſolidum gaudium, & omnia bona ineffabilia, ſimul omnia, quia vnum & ſummum bonum*. Ad quod ex creaturis gradum faciens, ex alicuius beſtiolæ conſideratione ſeu aſpectu, frondíſve aut floſculi, ſeu rei cuiuſuis minimæ, in Deum animo erigebatur, & illi quoad

D. Proſper & Cantiprat. 2. lib. de Apib. cap. 4.

Li. 11. Cōfeſſ. cap. 2.

Medit. c 7.

Li. 10. Cōfeſſ. c. 24.

Li. 10. Cōfeſſ. c. 16.

Lib. De verâ Relig. cap. 29.

ad poterat diutiſſimè inhærebat. Propterea admonebat omnes pietatis ſtudioſos, ſummopere præcauerent donec agerent in hac vitâ, ne quo rerum harum terreſtrium viſco ſemet implicarent, eſſentque velut aues pennis implicatæ. Poſſumus autem commodiùs eò contendere, ſi iuxta eiuſdem D. Auguſtini, Baſilij, & aliorum ſententiam, ſex gradus perfectionis conſcendamus; quorum In lib. Soliloq.

Primus eſt, Omnem diuitiarum affectum exuere.

Secundus, Honori nuntium remittere.

Tertius, Aſpernari penitus corporis voluptates; non illicitas tantùm, verumetiam quæ citra peccatum haberi cum vxoribus poſſunt: quibus adde reliquas huius vitæ delicias, vſque ad ea ipſa, quæ in cibo, potu, balneis, deambulationibus, & ſimilibus capi ſolent oblectamenta.

Quartus, Fugere amicorum & affinium frequentem præſentiam, & ab eorum vſu ſe abſtrahere.

Quintus, Vitæ mortalis amorem ponere.

Sextus, Fortiter res aduerſas, & vel acerbiſſima corporis tormenta, quando ſic erit opus, perferre.

Ad iſta quòd eſſet Auguſtinus optimè comparatus, fiebat vt ex facili per res tenuiſſi-

nuiſſimas in Dei amorem aſcenderet, *& inardeſceret meditari in lege Dei*, ex quâ ſuauiſſimas percipiebat delectationes. Quâ de re fuſiùs agens, *Qui*, inquit, *veram requiem, quæ poſt hanc vitam promittitur, quæris, etiam hîc eam inter amariſſimas huius vitæ moleſtias ſuauem guſtabis, ſi eius, qui eam promiſit, præcepta dilexeris. Affectiones habent tabula, theatrum, venatio, aucupium, piſcatus; & non habeant opera Dei? & non habeant meditationes Dei, interiores quaſdam affectiones ſuas? Sunt ſanè quædam ſanctæ deliciæ in libris, ſunt gaudia ex diuinis eloquijs ſcrutatis.*

Li. De catech. rud. c. 16.

Enarrat. in Pſal. 76.

CAPVT XXVIII.

Ad hauriendam ſpiritualem dulcedinem D. Auguſtinus myſteria S. Scripturæ, ac potiſſimùm Dominicæ paſſionis, animo recolit.

HÆC delicata ſinceraque gaudia dum vellet abundantiùs percipere, recipiens ſemet in conclaue, loculúmve domus aliquem ſecretiorem, Sacrarum literarum myſteria, ac maximè quæ Chriſti mortem attinent, ſi quid temporis ſuffurari poterat negotiis, animo contemplabatur: nauſeans interim ad omnes mundi delicias, præ dulcedine quam ex hiſce rebus ſanctiſſimis haurie-

Ambroſius Steiban. f. 69. Tépli. Caniſius in Enchirid.

hauriebat. Solebat autem dicere: *Tuta requies est infirmis peccatoribus in vulneribus Saluatoris, securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant: per foramina corporis patet mihi arcanum cordis. Per has rimas licet mihi gustare, quàm suauis est Deus meus, quoniam reuerà suauis. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Saluatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Dei mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Dei mei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inuenio tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis dormio, & quiesco intrepidus.* In his *petræ foraminibus* morabatur, omnem suę salutis spem in Redemptoris Christi passione reponens. Quàm verò pulcrâ hypotyposi Deo Patri Filium in cruce fixũ repræsentat? *Intuere dulcem Natum toto corpore extensum: cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera quæ patrarunt manus meæ: consi-*

Lib. De contempl. cap. 21.

Medit. c. 6.

considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renoua me sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in viâ peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tuâ, diris confixa clauis, & fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam spiritu vniri, qui meâ non horruit carne vestiri. Numquid non attendis, pie Pater, Filij carissimi caput, niueâ ceruice deflexâ, pretiosissimam resolutum in mortem? Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda. Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. Huic tanto diuini amoris excessui tantum frigus rependi ab hominibus, grauiter his verbis dolet: *Aequissime*
Medit.c.35
Iudex, cui omne iudicium dedit Pater, sapientissimo tuæ æquitatis iudicio discernísne hoc iustum esse, vt filij huius sæculi, præstantiori desiderio, virtute, atque studio diligant, & quærant perituras diuitias, & fugitiuos honores, quàm nos serui tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus? Si enim homo hominem tantâ diligit dilectione, vt alter alterum vix patiatur abesse: si
sponsa

ſponſa ſponſo tanto conglutinatur mentis ardore, vt præ magnitudine amoris nullâ perfrui valeat requie, cari ſui abſentiam non ſine magno mærore ferens; quâ ergo dilectione, quo ſtudio, quo feruore anima quam deſponſaſti tibi fide & miſerationibus, debet diligere te verum Deum & pulcerrimum ſponſum, qui nos ſic amaſti & ſaluaſti, qui pro nobis tanta & talia feciſti?

CAPVT XXIX.

Frequenter D. Auguſtinus ad cæleſtem patriam animo ardenti ſuſpirat.

QVAM autem ad cæleſtem patriam ardenter aſpiraret, ex his verbis Lector collige: *O domus Dei luminoſa & ſpecioſa, ad ſocietatem beatitudinis tuæ deſiderat perue-* Meditat. c.20.& 22. *nire anima mea, vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur. Quantum plus valeo mecum conſiderare, tanto plus amore tui langueo, vehementi deſiderio tuíque dulci memoriâ admodum delector. Libet itaque, libet in te oculos cordis attollere, libet de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tuâ beatitudine & gloriâ quotidie legere, & lecta ſæpiùs ſub corde reuoluere: vt vel ſic poßim ab huius perituræ vitæ ardoribus, periculis, & ſudoribus, ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſ-*

transire, & transiens in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululùm declinare. Tanta enim illius beatitudo, vt si non liceret ampliùs in eâ manere, quàm vnius diei morâ; propter hoc solum innumerabiles huius vitæ anni pleni deliciis & circumfluentiâ bonorum omnium meritò contemnerentur. Non enim falso aut prauo affectu dictum est, Melior est dies vna in atriis tuis super millia, & oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Hanc in rem adferũt Epistolam decimamoctauam Appendicis ad Cyrillum, in quâ refertur, cùm de cælestis gloriæ felicitate D. Hieronymum interrogare vellet, iamque salutationis exordium fecisset; repentè lumen ineffabile sub Cõpletorij tempus, cellulam viri sancti impleſſe. Quâ re visâ Augustinus mirabatur, nescius iam tum seruo fideli, vitâ functo, præmium in cælis immortale datum esse. Itaque alternantibus se in eo cogitationibus, ac dubitanti quid hoc esset, de luce vox hæc emissa fuit: Augustine, Augustine, quid quæris? putásne breui vasculo immittere totum mare? breui includere pugillo totum terrarum orbem? Citiùs hæc præstiteris, quàm gaudiorum & gloriæ, quibus Beatorum animæ sine fine potiuntur, vel minimam intellexeris

Psal 83. Isa. 64. & 1. Cor. 2.

Solet citari sub nu. 205 Epistolæ diui P. Augustini.

ris partem, nisi, sicut egomet, experientiâ doctus fueris. Quæ licet verissimè de cælesti gloriâ, eiusque assiduo speculatore Augustino dicantur; minùs tamen verè ei quidam asscribunt hanc Epistolam, quando liceт Cyrillum ante Hieronymum obiisse: nisi forsitan (quod quidam indicare videntur) sit alius quispiam cui S. Augustinus Epistolæ suæ inscriptionem fecerit. Porrò solidiora rei huius argumenta sunt, frequentia passim in eius operibus ad cæleste patriam suspiria, cohortationesque. Sic enim in sermone De verbis Domini: *Amemus vitam æternam. Non vobis placeat amor Babyloniæ. Ne obliuiscamini ciuitatem Ierusalem. Etsi corpus adhuc in Babyloniâ tenetur, cor nostrum ad Ierusalem præmittatur; ibi semper gaudium, nulla mors, nulla ægritudo*, &c. *O si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloriâ suâ videre possemus, & Sanctis eius sociari; nónne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni tantæq; gloriæ participes haberemus? Domine hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas. Ibi sit mens, & hîc erit requies.* Percipiebat hinc inusitatam mentis dulcedinem, quæ omnem *voluptatum affluentiam* longè excedebat: *sed recido*, ait, in hæc (humana)

Serm. 64. De verbis Domini, & Enar. in Psal. 148.

Serm. 175. De temp.

Li. 10. Cōfess. c. 40. & lib. 11. c. 2

mana) *ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & multùm fleo, sed multùm teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauat. Hîc esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo: miser vtrobique.*

Capvt xxx.

Ob caussarum quotidianos concursus sæpè opera cœpta interrumpere cogitur, & nocte lucubrare.

Proin haud falsò queritur, quòd vel inuitus hisce animi deliciis carere debuerit, & voto suo remissiùs agere quædam coactus fuerit, ob forésium caussarum quotidianos tumultus, quibus vsuueniebat ei, vt operibus omnino diuersis animum distineret; ac vni quidem vacaret interdiu, alteri verò noctu, quando ab aliis occupationibus vndique irruentibus ei parcebatur, & tempus silente diei strepitu, consulendo Numini fiebat opportunius: longè aliter namque (vt hoc per transennam hic aduertamus) Deus & homines interpellantur. Regem enim noctu consulere, vel eius fores intempestiuè pulsare audet nemo; at Regis regũ ianuam omni tempore, quamuis nocte intempestâ, ferire licitum & consultum est: quin ipsa pulsatio quò vehementior, tanto fit gratior. *Hoc enim amat ianua*

S. Augustini velut furtiuæ ad Deum preces.

ianua Sal[illegible]ris, vt pulsatoribus semper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus, videns ianuam suam à petitorum voce, à pulsantium clamore silere, inuitat nos ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatem. nec à suæ ianuâ pietatis repellit pulsantes, sed culpat potiùs negligentes. Deinde demonstrans quantum discrepet Dei liberalitas, & hominum auaritia, qui mendicos ab ostiis recedere nolentes, exigunt: *hæc fastidia*, inquit, & importunæ rogantium preces *delectabilia illi sunt*: ideò huiuscemodi pia fastidia Deo frequens ingerebat, tum maximè cùm aliquod pium opus ei faciendum incumberet. Porrò nihil in eius actionibus præproperum aut festinatum, sed prudentiæ maturitate & precum in primis assiduitate velut decoctum erat. Atqui preces continuæ, viro sancto fatigationis leuamen erant, & molestiarum cum suauissimo lacrymarum imbre refrigerium. Ingeminabat hasce crebrò nunc ad Deum, nunc ad Sanctos; quos non tamquam Deum, sed Dei amicos, cum Ecclesiâ venerari se demonstrat.

Serm. 171. De temp.

Opportunè & importunè Deus rogandus.

Capvt XXXI.

Deiparam Virginem reliquósque Sanctos, D. Augustinus summopere coluit. Insigne eius apophthegma de Christo eiúsque Matre.

Lib. 20. cōt Faust. c 21. & lib. 32. c. 11. & 12. Amb. Steiban. 58. P. Valder. & alij.

Præcipvo autem cultu Deiparam semper Virginem est prosecutus, in cuius laudem, Officium cum Antiphonis & Responsoriis composuisse memorant: ac inprimis Lectiones eas quæ Natali die eiusdem sanctissimæ Virginis in Ecclesiâ recitantur. *Per feminam*, inquit, *mors, per feminam vita; per Euam interitus, per Mariam salus.* Hanc vnicam post Christum, spem peccatorum, præmiorumque expectationem vocat: & pluribus encomiis in eis precibus exornat, quas familia nostra Augustiniana statis diebus ei recitat; imitatione sui parentis, tantæ Virginis singulari studio accensa: in cuius quoque honorem albâ veste vtitur, cum obligatione cuiusdam pensi Horarij, quod ei Choris alternantibus exsoluit. Eamdem, veluti matrem ac patronam Ordinis singularem, in sigillis ac insignibus à Romano Pontifice iam olim accepit, in quorum areâ B. Virgo dextrâ parte constat, totius Ordinis custos ac patrona; sinistrâ verò cernitur Augustinus, mona-

De symb. ad Cathec.

B. Virgo patrona Ordinis Augustiniani, eaque est in insignibus expressa.

monaſticis ſimul & Pontificalibus amictus veſtibus. Ad hæc Redemptor humani generis cruci affixus, inter duas columnas & arcum triumphalem ſpectatur cum his literis: I C. X C. id eſt, IESVS CHRISTVS. Hanc crucem monachus quiſpiam omnium aliorum vice complectitur, eſtque hæc ſententia in ſcuti ambitu: *Auguſtinus lux Doctorum, malleus hæreticorum.* Ad hæc recepit Ordo noſter à Pont. Max. Gregorio IX. Deiparæ Virginis imaginem; illam ipſam quam D. Lucas pinxiſſe traditur, quæ etiamnum hodie miraculis ingentibus Romæ celebratur, in eo Ordinis monaſterio quod eſt iuxta portã Flaminiam, vbi Nero ſub arbore nuce ſepultus fuit: eſtque is ſacer locus, ad aliorum diſtinctionem dictus vulgò, *La Madona del populo,* forſan ob frequentiam populi, qui ſubſidij cauſsâ eò confluit: & meritò, nam ſecundùm D. Auguſtini ſententiam hæc omnimodis eſt inuocanda. *Toto,* ſcribit, *mentis affectu beatiſsimæ Virginis nos interceßionibus committamus omnes, eius patrocinia omni niſu imploremus; vt dum eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedulâ prece commendare dignetur in cælis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus, liberatis impendere*

H. Scripãdus in Cõp. ann. 1100.

Serm. 35. De Sanct.

dere suffragium. Eamdem porrò Dei Matrem,quemadmodum & sanctissimum eius Filium in cruce fixum, ardentibus sæpè precibus compellans, tantâ mentis implebatur dulcedine,vix vt auelli alterutro posset. Propterea frequentatur hoc apophthegma eius, inter Christum & Mariam genua figentis; *Positus in medio, quò me vertam nescio; hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab vbere.* Quod piâ libertate dictum ab Augustino facilè potest intelligi, contra pertinaces quosdam ac supinos huiusce sæculi nouatores, qui nimis ad viuum hoc ipsum resecãt. Quàm autem reliquorum Sanctorum inuocationem obseruauerit, declarant hæc eius verba: *Felices Sancti Dei omnes, qui iam transiistis huius mortalitatis pelagus: qui securi estis de vobis, obsecro vos per vestram caritatem, solliciti estote de nobis. Per ipsum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulcritudine iam satiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissimâ visione semper gaudetis: estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Orate vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisq; adiuti* (Sanctorum enim intercessione non paucos asserit extremo iudi-

Apophthegma S. Patris Augustini.

In Chron. & apud Vald. in Theat.Relig. f.123. & 338.

Medit. cap.24.

S. Augustinus Diuos inuocat.

iudicij die seruandos) *saluâ naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis.* Præcipue verò coluit, & orationibus ieiuniisque celebrauit diuum Stephanum, in cuius honorem templum extruxit, eiusq; corporis Reliquiis illud exornauit; quòd plurima tribuerentur ibidem beneficia Sanctum inuocantibus; quodque præfractorum hominum emolliret affectus, quòd morbo pressos sanitati restitueret, & mortuos quoque ad vitam suis precibus reuocaret.

Lib. 21. De ciuit. Dei, cap. vlt.

Templum S. Stephano exstruit.

Lib 22. De ciuit c. 8. & Serm. 29. De temp.

CAPVT XXXII.

Quomodo reiectis omnibus, summâ curâ Horas recitauerit.

ACCVRATISSIMVS semper fuit in recitandis Precibus horariis, non tam metu (vt suprà retuli) illius imprecationis, *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter*, quam amore quo in Deum & orationis studium ferebatur. Hoc pensum, missis ceteris, ingenti pietate exsoluere satagebat: ad hoc tempus opportunum otiumq; deligebat, in eo reddendo, velut sub vitæ melioris initium Officiú diuinum audiendo, frequentiùs lacrymis perfundebatur. Ac semel dumtaxat multitudine negotiorum obrutus, Completorij recitandi fuisse obli-

Lib. 2. c. 2.

Leonardus de Vtino ser. de sancto Augustino. Legenda Sanctorú, & alij.

tus fertur. Accidisse porrò vt diabolum obuium haberet cum oblongiore schedâ: quem cùm pro imperio, quod est viris sanctis in dæmonia, rogasset, quidnam in illâ scriptum ferret; mox Augustinum adegisse inuitum, vt legendi copiam sibi faceret, in quâ cùm obseruasset obliuionem suam, mox dolore animi concepto, persoluisse quas omiserat Preces: idque suum erratum ex eodem catalogo simul euanuisse.

CAPVT XXXIII.

Quo affectu fuerit in sacrosanctam Eucharistiam.

Lib. 9. Cōfess. cap. 13

QVOD ad Eucharisticam attinet sacri altaris oblationem, *in quo sui memoriam fieri ab Augustino eiusq́; fratre desiderarat Monica, cuique nullius diei prætermißione seruierat, quòd in eo sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum contrarium nobis*; semper ei, intaminato videlicet Missæ sacrificio, deditissimus fuit, illudque celebrare solitus; *vt quod mater poposcerat extremùm, vberiùs ei præstaretur in multorum orationibus, & per operationes ipsius*: etiam suos exhortabatur, vt quotidie

Lib. 50. Homil. 42.

Dominico corpore se reficerent, dum vllatenus possent, ne si forsan se ab eo elongarent, etiam Dominus se elongaret ab eis, &

& recipientes illud crebrò, ipſum etiam reciperent Saluatorem, dicentem: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*; ſic enim hominem recipere remiſſionem peccatorum ſuorum, omni tempore paratum percipere diuina myſteria, ideoque ſi moriatur, idoneum eſſe ad reddendam rationem. *Nos*, ait, *quotidie Euchariſtiam accipimus*. Et: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis inſtar Græcorum in Oriente? Accipe quotidie quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere*. Allato dein exemplo Iobi, quotidie pro filiis offerentis holocauſta, ad idipſum Euchariſtiæ ſacrificium quotidie offerendum & ſumendum inuitat. *Qui vulnus*, inquit, *habet, medicinam requirit: vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus; medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum*. Ipſe Chriſtus ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio: cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium. Commendabat autem præ ceteris, ex inſtitutione Chriſti, Dominicæ paſſionis memoriam facere; quò illam recordantes attentiùs, in tantum talemque benefactorem, vehementi raperentur homines affectu, ac pro ſuis viribus tanto reſponderent amori. Propterea ſibi ſubditos, alioſ-

Ioan. 6.

Lib. De bono perſeu. cap. 4 & Serm. 28. De verb. Domini.

Cap. 1.

Lib. 10. De ciuit. Dei cap. 20.

Lib. 50. Hom. 50. cap. 4. Tract. 6. in Ioan. Lib. 5. De Baptismo cont Donatist. c. 8.

aliosque hortabatur, vt tanto Sacramento confessionem præmitterent, si conscientia peccati mortalis vrsisset, vtque non sine diligenti præparatione rem adeò tremendam peragerent: secùs agentes, ad iudicium sibi Sacramenta Dominicæ carnis & sanguinis percipere: non quòd illa mala, sed quia mali hæc malè sumendo, ad iudicium accipiunt bona quæ accipiunt. Explicat hoc similitudine Iudæ, cui buccella Dominica venenum attulit: non quòd illi nociuum aliquod Christus tribueret, *Medicus enim non daret venenum; salutem Medicus dedit, sed indignè accipiendo, ad perniciem accepit.* Summâ ergo, vt antè dictum est, curâ diligentiaque ad tam augustum Sacramentum semet præparauit, ipsumque pari reuerentiâ sumpsit, atq; inde eam dulcedinem hausit, easque mentis delicias, quas in scriptis suis abundè nobis (vt sic loquar) eructat.

CAPVT XXXIV.

Ab internâ mentis dulcedine S. Augustinum auocat prædicatio verbi diuini: sacræ Scripturæ profunda rimatur: significatur per Aquilam magnam, &c.

ABSTRAHEBAT eum velut renitentem ab his, sicut & ab assiduo contemplan-

plandi prædicandiq́; studio, commissi gregis custodia. Quoniam *desiderium*, inquit, *meum non mihi soli æstuat, sed vsui etiam vult esse* fraternæ caritati, *& vides in corde meo quia sic est, vt sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ.* Illum proinde indefesso animo, quoad vixit, in saluberrimis Christianæ legis pascuis educauit, cùm verbi diuini non interruptâ prædicatione, tum inculpatissimæ vitæ exemplo. Quoties peccatorum fibras extirpare, quoties deprauatos mores corrigere, quoties auitam fidem erigere est conatus? Quoties depressas mentes ab huius vitæ cœno in cælum ardentissimis sermonibus eduxit? Quot mortiferæ hæreseos peste laborantes veræ fidei medicamẽto sanauit? Quàm denique contra bacchantes sectariorum procellas intrepidè processit, ac tumentes, montium instar, eorum fluctus tamquam in euanidam spumam conuertit, & optatam Catholicę Religionis naui attulit tranquillitatem? Et ista quidem vniuersa, cùm orationis tum ieiunij fortissimis adiumentis perfecit: quibus ipsis velut prorâ & puppi existentibus, per Scripturæ sacræ & diuinæ cognitionis immensum pelagus, ingenij sui vela expandit, quibus sancto Spiritu distentis, eiusdem Scripturæ remotissimos,

Li. 11. Cōfess. c. 2.

Remig. Antisiod. Com. super c. 2. ad Cor.

ſimos ſenſus & occultiſſimorum myſteriorum receſſus, vel ex æquo cum aliis Patribus, vel feliciùs eſt aſſecutus: eamq́ue ob cauſſam à viris maximis non vnâ periphraſi deſcriptus inuenitur, quorum aliqui periſſimum nauarchum eum appellant, alij vocant Eccleſiæ linguam, alij naturæ monſtrum humanæ intelligẽtiæ terminos tranſgrediens, alij ingeniorum orbis Phœnicem nominarunt, atque etiam Aquilæ non immeritò ſimilem eſſe dixerunt, quòd ſuper imbecillitatis humanæ nubila, vti D. Ioannes inter Euangeliſtas, ſic inter Eccleſiæ Doctores altiùs euolarit, atque immutabilis veritatis lumen perſpicaciore luminum acie penetrarit. Significatum autem eſſe Ezech. 17. & Apoc. 8. *per Aquilam grandem alarum magnarum, plenam plumis & varietate, è Libano ferentem medullam cedri, volantem per medium cæli, dicentem voce magnâ, Væ, Væ, Væ habitatoribus terræ, de ceteris vocibus trium Angelorum qui erant tubâ canituri.* Aquila nimirum eſt grandis, virtute oculorum prædita ſingulari, eademq́ue magnarum fulta præſidio alarum, quæ circiter quinquaginta Religioſorum hominum claſſes ſuis alis complectitur. Aquila dico pennis plumiſq́ue copioſè tecta, quæ non tantùm hiſtoriæ (quam Chriſtianæ Reli-

Variæ D. Patris Auguſtini periphraſes.

D. Auguſtinus Aquilæ ſimilis.

Religionis ſectandæ dicebat eſſe caput) ſed potiſſimùm ſcientiæ multiplicis, tam diuinæ, quàm humanæ medullam vndique corripuit, adeoque intactum nihil reliquit, vt eidem iure accinatur illud 3. Regum 4. *Diſputauit à cedro quæ eſt in Libano*, nimirum ab altitudine diuinæ Maieſtatis, *vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete*, videlicet abiectionis humanæ carnis, quæ ex intemeratæ Virginis vtero proceſſit. *Adde varietatem*, ſtilum, atque ipſam formam dicendi, quâ tam variâ eſt vſus atque multiplici, pro materie propoſitâ, vt non vnum eſſe ſcriptorem arbitreris. Equidem medullam cedri tulit, quando depurgatum ſacræ paginæ ſenſum aperuit. Væ acclamauit inhabitantibus affectu terram, & deſiderantibus quidquid in eâ corruptioni obnoxium eſt. Væ inſonuit his in vitâ, Væ in morte, Væ poſt mortem. Huiuſcemodi enim hominibus ipſum eſt viuere laborioſum, mori acerbum, & quæ poſt mortem ſubeunt, intoleranda. Hanc Aquilam tres Angeli conſequuntur tubis, eumdem horrorem mortalibus concinentes, ſuntque illi, D. Benedictus, Franciſcus, & Dominicus, quorum vterque poſterior, Auguſtinianam quoque Regulam aliquamdiu amplexus, S. P. Auguſtinum & tempore & viuendi modo eſt ſecu-

Li. De verâ Relig. c. 7.

B. Iordan. lib. 1. Vitaſ. frat. cap. 8. Philip. Bergomas in Supplem.

ſecutus; contemptum rerum caducarum, præ vnius Dei arctiore cultu, mortalibus perſuadendo. Cumque alij nonniſi per obliquum tendant, & in altum nitantur, illa grandis Aquila per medium cælum volauit, cæleſtis illius Ieruſalem cacumina peruolitans, & ipſum profundiſſimum diuinæ Trinitatis myſterium, quoad eſt fas homini, diuinâ benignitate penetrauit.

CAPVT XXXV.

S. Auguſtinus fons Scholaſticæ doctrinæ, & Eccleſiæ Doctor præcipuus.

CVM igitur abyſſus hæc ſit immenſa, multiſque mortalium aditus intercluſus ad res tam altas tamque abſtruſas: propterea, quæ Dei in nos eſt beneuolentia, ſuæ Eccleſiæ velut aquæductum Auguſtinum ſubmiſit, vt ex eodem pro ſe quiſque doctrinam ſanctiſſimæ Trinitatis, aliorumque myſteriorum fidei abunde hauriat. Vnde eum Paulinus fiſtulam aquæ viuæ, & æterni fontis venam meritò vocauit. Et diuus Vincentius, Candelabrum Eccleſię aureum, cæleſtis doctrinæ lumine, quod ei cælitus infuſum, ſplendens in caliginoſo loco, ac nocte ſæculi. Cùm enim tantâ caligine, tantiſq; nebulis errorum foret tunc veritas obtecta, tam rari auctores inquirendæ

Epiſt. 31. ad Auguſtinum.

rendæ veritatis, tam tenuia nanciſcendæ cognitionis adminicula; tum ille rerum Theologicarum genuinum ſenſum ita detexit, vt quidquid in hunc vſque diem haud cunctabundi de illis aſſerimus, id vni Auguſtino maiori ex parte acceptum ferre debeamus. Ipſe enim Theologiæ ſcientiam, quam Scholaſticam appellant, etiam primus inueniſſe dici poteſt, ab eoq; ſcientiam eamdem plures deinceps fuiſſe mutuati. Hinc Antonius Poſſeuinus in Auguſtino: D. Thomas meritò poteſt nominari alter Auguſtinus cùm adhuc ſolidiùs, ſc. Petro Lombardo, & in meliorem ordinem doctrinam S. Auguſtini redegerit. Quam quidem Summam pleręq; celebriores Academiæ & viri admodum inſignes exponentes tractant & docent; vt poſt tot ſæcula viuat, doceat, & illuſtret Eccleſiam, atque hæreticos expugnet vnus homo Auguſtinus, dum intereà cæleſti gloriâ indies auctiori perfruitur.

D. Auguſtinus primus ſcholaſticæ Theologiæ inuentor.

Itaque quemadmodũ Agathon depingebat Homerum carminũ riuos ore vomentem, vnde circumadſtantes Poëtæ vaſa ſua copiosè replerent: ſic Auguſtinum Theologiæ ſcholaſticæ veritates eructantem formare poſſumus, cingi coronâ lectiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, qui eaſdem omnes

nes ab illo ad se deriuent. Itemque sicut Tyrios & Phœnices complures aiunt de Prouerbiis Salomonis delibasse non pauca, & in suas retulisse Commētationes; sic plerosque Doctorum suamet scripta, doctrinâ sententiisque Augustinianis ornasse atque confirmasse videmus. In quibus est Scholasticæ doctrinę princeps D. Thomas Aquinas, cuius vix est aliqua conclusio, seu opera spectes omnia, seu eam quam composuit Summam, quæ non ex Augustini fonte sit deriuata, quæque non eiusdem doctrinâ velut cælesti oraculo confirmetur. Exemplo sit materies de Deo, de sanctissimâ Trinitate, de Christo, de Gratiâ, de Prædestinatione, de Libero arbitrio, de Spiritu & literâ, de Fide & operibus, de Sacramentis, aliisque nostræ fidei mysteriis. Pro quâ

Par. 3. t. 23. §. 2. re scribit D. Antoninus, B. Thomam aliquando videndum se obtulisse, indutum trabeâ (quam Pluuiale vocant) stellis intextâ, cælestes radios eiaculantem, ad hæc regali diademate fuisse insignitum, & aureo simul argenteoque monili resplenduisse. Addit, eius lateri vicinum stetisse Episcopum venerandâ canitie præditum, nec ornatu minori, nec paucioribus insignibus quàm ipsum Aquinatem. Dein ab eo cui hæc visio contigerat interrogatione factâ, qui-

D. Augustinus simul cum B. Thomâ Aquinate videndum se offert.

quinam essent, respondisse Episcopum: Quem designo tibi, S. Thomas est; at ego quem vides, sum Augustinus: illi me comitem ego præbui, quòd in locis sacræ doctrinæ difficillimis, meam hic consuluerit sententiam, eamque semper defenderit.

Etiam ipse S. Dominicus illustre Confessorum decus, quàm fuerit eiusdem sancti Augustini studiosus, hinc apparet, quòd cùm proposuisset auctor esse religiosi Ordinis, cuius obseruatores essent simul diuini verbi præcones, & veritatis assertores, necnon incorrupti sacræ doctrinæ iudices, voluit potissimùm hunc cœtum suum Augustinianâ Regulâ contineri, vt in illius obseruantiam iurantes, simul & animi submissionem, & ardorem ad virtutes, tantique viri doctrinam amplecterentur: quibus rebus instructi, præcones verbi diuini essent numeris omnibus absoluti. Ideò Dominicana familia parentem nostrum Augustinum inuicem amore complectitur, atque vt in hymno de iisdem quoq; canitur,

Assertorem paupertatis amant veri Iudices.

Etenim si propiùs hæc consideremus, non exiguam similitudinem, velutque cognationem vtriusq; huius Ordinis inueniemus. Nam primùm si vestes attẽdas, amborum est habitus interior albus, exterior niger: si *Ordinis Augustiniani & Dominicani cognatio.*

Regulam, eadem eſt: ſi literas & doctrinam, ab Auguſtino fluunt. Vna videtur intercedere differentia, nimirum quòd eadem Dominicana familia aptiorem inuenerit methodum doctrinæ Scholaſticæ, quam B. Thomas primùm concinnauit; ac vt ita loquar, aurum quod è profundiſſimis ſacræ Scripturæ fodinis erutum ab Auguſtino ſed infectum accepit, illud formis terminorũ & concluſionũ ſcholariũ abſoluit.

Quamobrem Eccleſia meritò vocat Auguſtinum Doctorem optimum ſeu maximum, pręſertim in Oratione diei eius anniuerſarij, quam S. Thomas compoſuiſſe fertur, his verbis: *Deus qui Eccleſiæ tuæ in exponendis ſacræ Scripturæ myſteriis Doctorem optimum prouidere dignatus es*, &c.

Miraculum quod modeſtiùs de ſe refert Auguſtinus. Lib. De curâ pro mortuis.

Quę res videtur etiam ipſo viuente fuiſſe miraculo comprobata: nam (vt ipſemet de ſe refert) cùm quidam è diſcipulis eius longe diſſitus, multùm ſe torqueret enucleandâ quadam ſacræ Scripturæ difficultate; cumque videret ſe nullâ ratione nodum hunc poſſe diſſoluere; ad ſe reuerſus, ait ingenti affectu: O ſi Auguſtinus hîc foret, quantâ facilitate mihi quæſtionem hanc decideret! Quo ſermone vix prolato, viſus ei fuit Auguſtinus tamquam in effigie, *Me*, inquit, *neſciente imago mea apparuit*, & pro

animi

animi ſententiâ difficillimi loci explicationem fecit. De eodem viſum eſt adiicere B. Thomæ Villanouani teſtimonium in hæc verba: Pollent quidem fideles in Eccleſiâ variis donis, atque alius pietate excellit, alius paupertate, alius humilitate, alius aliâ gratiâ quacumque. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, neque ſanctus dici poteſt, qui aliquâ virtute non eſt inſigniter iuſtus: ſed quod eſt ſapientiæ proprium, Scripturas intelligere, penetrare Sacrâ, innodata diſſoluere, obſcura probare, & ſimilia, hoc ſibi auidiſſimè vendicat Auguſtinus, non ſacræ tantùm, ſed & profanæ eruditionis ſcientiſſimus, quam velut & Iſraëlitæ ab Ægyptiis vtenda vaſa acceperant, ſic ab auctoribus Ethnicis in vſum Eccleſiæ Catholicæ cùm venuſtate transtulit. Erat idem ſchola ſcientiarum, promptuarium diſciplinarum, fons præceptorum, & propter inexhauſtæ doctrinæ magnitudinem, pelagus S.S. literarum; ad quarum faciliorem notitiam, compendioſiorẽ ipſe viam præſtrauit: adeò, vt quemadmodum ſi quis extremam Indiam terreſtri itinere cogitaret, multis laboribus periculiſq; circumeundo magnam orbis partem, eò perueniret; maritimo verò curſu, longè breuiùs eum terminum aſſequere-

Serm. 1. de S. Auguſtino.

D. Auguſtinus omniſcius.

Lib. 7. Cõfeſſ. c. 9.

tur; ſic, inquam, adire quis poſſit compendio ſacræ Theologiæ vaſtitatem, ex vnius Auguſtini ſcriptis, quam vix alius ingenti ſtudio ac labore per ſe nanciſci poteſt. De huius eximiâ & multiplici eruditione, hoc olim carmen panxit Pius Secundus Pontifex Maximus:

Barbaricæ gentis decus Auguſtine perenne,
Horrida quem nobis Africa terra tulit;
Qui Scripturarũ profers arcana ſacrarum,
Eloquiis reſerans abdita cuncta tuis,
Doctior ingenuaq́; omni cultiſſimus arte,
Et ſtudio præſtans ingenioq́; nitens:
Quem nihil obſcurum latuit, ſed & omnia florent,
Atque humana ſimul dogmata, & alta patent.
Cuius & inſtruimur doctrinis, atque mouemur
Exemplis, probitas cuius in orbe micat:
Millia librorum per te Pater alme leguntur
Edita, quæ promunt quidquid vbique latet.
Sis cunctis fautor pius ô ſanctiſſime Præſul,
Atque Deo ſummas offer ad alta preces.

CA-

CAPVT. XXXVI.

D. Augustini eximia doctrina, cum summâ humilitate coniuncta.

HIC tantus & talis cùm esset, minimè tamen inflabatur istâ scientiâ, verùm ei, cuius omne datum optimum est, eo nomine gratias copiosè agebat, omnem declinans laudem propriam ac inanem gloriam, quâ nulla pestis capitalior optimis ingeniis potest accidere. *Nulla*, inquit, *pagina sanctorum librorum, in quâ non sonet quòd Deus superbis resistit, humilibus autem det gratiam.* Quâ de caussâ eos qui tales sunt, constare videmus; qui verò semet efferunt, nonnumquam in hæreses nefandas relabi: *nisi* enim *præcessisset*, ait Isiodorus, *latens superbia* (deserto conscientiæ secreto, foris videri amans) *non sequeretur libidinis manifesta ruina: quæ cùm omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit.* Hanc ideò tantopere vir sanctus auersabatur, vt suis è laudibus, cùm iis afficeretur, tristitiam caperet, reprehensionibus verò lætaretur; Christianæ videlicet humilitatis studiosissimus, quam Christus verbo tam sæpè commendat, atque exemplis probat. De hac Noster dicere consueuit: *Humilitas, penè tota disciplina Christiana est.* Et alibi: *Sicut*

Lib. 3. De doctr. Chr. cap. 23.

Lib. 87. qq.

Lib. De summo bono c. 19.

Lib. 2. De Genes. c. 5.

Li. 10 Cōfess. cap. 37.

Humilitas ro tus Christiana disciplinæ compendium.

Libro De sanctâ virginit. c. 3. & epist 56. ad Dioscorû.

Demosthenes interrogatus, quid primùm obseruari deberet in præceptis eloquentiæ, quid secundò, quid tertiò, semper respondit, pronuntiationem; sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ Religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem, liberet.

OBSERVA

Vnde tantâ erat animi demissione, vt qui spatiosum Scripturæ, vt ita loquar, mare sæpiùs nauigio firmæ fidei, remigio clari ingenij, ac Spiritus sancti secundâ aurâ longissimè intrarat, vix tamen sibi vela fecisse visus sit, ac ipso quodammodò in littore se deprehensum putauerit. Ac ne videatur liberaliùs hoc à me dictû, ipsummet age hoc de se fatentem audiamus:

Epist. 3. ad Volusianû. *S. Scripturæ profunditas.*

Tanta est, inquit, *Christianarum profunditas literarum, vt in eis proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quòd ad ea quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis perueniatur difficultate; sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine quâ piè rectéq; non viuitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaq; non solùm in verbis quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ; vt annosissimis, acutissimis, flagrantissi-*

tiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm conſummauerit homo, tunc incipit. Eccli. 18. Idem ait, ſe rogatum quâ ratione peccatum Adæ in alios propagaretur, reſpondere ſolitum, *Hoc, vt multa alia, me ignorare confiteor.* Epiſt 29. ad Hieron. Denique, *Etſi iſtorum argumenta* (contra modum traductionis peccati originalis) *ſoluere non valeam, video tamen inhærendum eſſe Diuinis literis*, &c. Lib. 3. De peccat. merit. cap. 2. Vnde breuiter intelligas, quantâ temeritate ac impudentiâ noſtræ ætatis hæretici, vniuerſæ Scripturæ notitiam ſibi arrogent, & cuilibet promiſcuè illius lectionem permittant; *Impudens nouatorum temeritas.* cùm tantus ille Doctor de ſe tam humiliter ſentiat. Hoc addo, quod cùm ijdem in rebus ciuilibus habeant Aduocatos & Iuriſperitos; omnes tamen in rebus ad fidem ſpectantibus (quo quidem nihil videtur eſſe abſurdius) cenſores eſſe velint atque doctores.

Eâdem mentis humilitate, non tam præfuit quàm ſubfuit primùm ſui inſtituti Religioſis, dein Hipponenſibus ciuibus: & *Humilitas D. Auguſtini in gubernando.* non ſolùm re ſe geſſit, ac ſi fuiſſet de ſibi ſubiectorum numero vnus, ſed animo ac ſenſu ſeipſum depreſſit; aliiſque ſe non tam imperare, quàm ſeruire ex amore reputans, *Hi*, inquiebat, *ſunt ſerui tui, fratres mei; quos* Li. 10. Cõfeſſ. c. 4.

filios tuos esse voluisti dominos meos, quibus iussisti vt seruiam, si volo tecum de te viuere. Eiusdem virtutis impulsu, modestissimè à populo sibi commisso è suggestu veniam

Lib. 50. Hom. 24. petens, sic ait: *Vobis loquor quibus inimicus efficior verum prædicans, quibus consulendo*

Nota. *videor onerosus; quorum requirens vtilitatem, cogor offendere voluntatem. Noui infirmitatem meam, quam cum meis, & pro me, vestris orationibus, diebus ac noctibus offero sanandam Domino Deo meo. Diuersarum ergo curarum æstibus ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè non vt poscebat audiui, si quem tristiùs quàm opus erat aspexi, si in quem verbum durius quàm oportebat emisi,* &c. *si quis in suâ conscientiâ non agnouit, quòd de illo humanitus suspicatus sum; vos, quibus pro his atque eiusmodi offensis esse me fateor debitorem, simul me vestrum credite*

Ingeniosa similitudo. *debitorem: nam pullos quos fouet, sæpè in angustiis, sed non toto pedis põdere calcat & mater, nec ideò desinit esse mater. Dimittite vt*

A populo veniã petit. *dimittatur vobis: dimittite amanti vos debita difficultatis, qui nec contra inimicos debita tenere debetis crudelitatis.* Hæc aliaque id genus summæ humilitatis indicia, exhibuit vir præter dignitatem Antistitis & adiunctam vitæ sanctimoniam, eruditione quaque versus omnium ore celebratus.

CAPVT XXXVII.

D. Augustini libri numerosissimi, quibus Ecclesiam contra hæreses instruxit. Eosdem ante mortem recognouit.

HÆC autem eius tanta eruditio, præter summum ingenium, assiduo labori tribui debet: quidquid enim temporis necessariis occupationibus detrahere potuit, totum id precibus, SS. literarum studio, & indefessæ commentationi dabat: videlicet id in hisce rebus spectans, vt vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ scriptis suis commodaret. Eius industriæ testes sunt libri numerosissimi, quos ęgrè quispiam queat perlegere, etiam æui diuturnioris. Quæ ratio mouit, vt quidam intrepidè asseruerint eum mentiri, qui se omnes, quæ quidem exstant vel haberi possunt Augustini lucubrationes, legisse fatetur. D. Remigius in hanc sententiam ait, quòd licet S. Hieronymus legerit sex millia voluminum Origenis, libros tamen S. P. Augustini nemo facilè legendo absoluat. Ex his ipsis eiusce monumentis (vti posteà, Deo annuente, à nobis in Antidoto latiùs deducetur) velut ex instructissimo Ecclesiæ armamentario, contra quaslibet, nostri præsertim infelicis sæculi hæreses, validissima leguntur tela, facileque con-

Iordan. lib. 2. Vitasfr. c. 22. Rupert. lib de Spiritu sancto c. 19

In exposit. Psalmor.

Ex S. Augustini libris, argumenta sumuntur cōtra quaslibet hæreses.

figitur quidquid nouorum monſtrorum per hoſce annos ad oppugnandum Eccleſiam Romanam eſt enatum. Scripſit autem, referente Poſſidio Calamenſi Epiſcopo, opuſcula, tractatus, libros, ampliùs mille & triginta, præter eos quorum numerus iniri non poteſt, quique illo viuo perierunt, vel iniuriâ temporum interciderunt. Quos omnes ingenij fœtus non tantùm Romani Pontificis iudicio ſubiecit, ſed & aliorum ſententiæ permiſit, aſſerens eum ſibi cariorem fore, qui cenſoriâ libertate illos emendaſſet. Ac deinceps, vbi per remiſſionem Epiſcopalis oneris licuit, ſub ætatis annum LXXII. pleroſque, velut vrſa fœtum relambit, recognouit, atque ſummâ cum prudentiâ (quæ cogitatio annos complures in mente eius inſederat) correxit. Quod ſingularis beneficij loco, non tam D. Auguſtino, quàm nobis factum eſſe diuinitus exiſtimare debemus: ab ipſomet enim inſtructiores facti, quæ in eiuſdem operibus aliquâ ſunt cautione digna, quæ item ab eo rata probataque, nos inuicem talia cenſere atque arbitrari poſſumus.

In fine Indiculi.

Quot libros S. Auguſtinus ſcripſerit.

Epiſt. 32. ad Paulin.

Lib. 1. cõt. 2. epiſt. Pelag.

Lib. 1. De Trin. c. 7.

CAPVT XXXVIII.

Absolutißima libris eius inest doctrina. Principes eiſdem oblectari ſoliti.

CETERVM ineſt operibus illius tam accurata doctrina, & ad ſe Lectorem pertrahēs elegantia, vt ipſi Principes eiuſce ſcriptis vehementer fuerint olim delectati. Carolus Magnus dolens literarum ſtudia non ad maturitatem peruenire, deſiderauit habere XII. Clericos ita religioſos, ſimulque omni ſapientiâ tam perfectè inſtructos, quàm fuêre Auguſtinus & Hieronymus; cui Alcuinus facetè ita reſpondiſſe fertur: Creator cæli & terræ, plures non habuit; & tu vis habere duodecim? Is idem Imperator, eos præſertim libros D. Auguſtini, inter cœnandum & prandendum (ad inſtar monachorum) legi curabat, qui De ciuitate Dei inſcribuntur. His tamen libris ita Auguſtinus incubuit, vt neque cura paſtoralis à ſapientiæ ſtudio eum retraheret, neque rurſus amor ſapientiæ, paſtoris ſollicitudinem imminueret. Sunt imagines quædam tam affabrè deductæ in ſulcos quoſdam ac diſcretæ, vt ſpectantibus obliquè, virginem pictam referant; ſin ex aduerſo reſpicias, appenſum cruci Saluatorem exhibent; ſin ex tertio latere contempleris, horrificæ mortis ideam

Libri D. Auguſtini Principibus in deliciis.

Eginhart. & Paulus Aemilius in Vitâ eius. H. Crãtzi. lib 2. De ciuit. cap. 8. P Gregor. in ſuâ Rep. lib. 7. c 10. & alij.

ideam repræſentant. Simile hiſce tabulis in D. Auguſtino videre licet: nam & Eccleſiæ gubernationi ſic affixus fuit, ac ſi literis numquam vacaſſet, & tot ingenij monumenta tamque multiplicia reliquit, vt nihil aliud per omnes vitæ dies egiſſe videatur. Mirabile videri cuiuis hoc debet, vnũ hominem tam variè tamque copiosè ſcripſiſſe, tot impedimentis, quæ munus Epiſcopale circumſtant, præoccupatum; vt omittam reliquas vitæ neceſſitates. Ac mihi quidem, vt & aliis, placet iſta ſententia, quemadmodum Apoſtoli, Deo intus agitante, ſic locutum Auguſtinum pleraque fuiſſe, eodem Doctore commentatum eſſe, eodem dictante tam ingentia volumina excepiſſe.

D. Auguſtinus Deo agitante locutus eſt & ſcripſit.

Capvt xxxix.

Ad B. Auguſtini ſententiam, velut ad Oraculum, ex orbe toto concurritur.

QVARE ex omnibus ferè orbis terrarum partibus Doctores, Epiſcopi, ipſi denique ſummi Pontifices quæſtiones ſuas explicandas Auguſtino deferebant, eum ad Concilia Pontifices inuitabant, ex illius ſententiâ condebant decreta, ipſum Synodis præficiebant: ſcientes, quòd tametſi non deeſſent primariæ ſanctitatis ac eruditionis viri, ipſius tamen Auguſtini præſentia maximè

mè prodeſſet; tamquam qui ceteris profundiùs noſſet myſteria fidei, cum difficultatibus quas circa eamdem mouebant hæretici; quique imis animi medullis, tamquam viuis tabulis, Dei legem inſculptam gereret, ac eamdem exactiſſimè obſeruaret.

Fuêre verò non pauci, qui ſuper controuerſijs ſuis ac difficultatibus eum in conſilium adhiberent, quique cauſſâ ſolatij vel etiam inſtructionis adirent, vt Oroſius ex Hiſpaniâ, Leporius ex Galliâ in Africam proficiſcentes, vbi cum Auguſtino familiariter egêre. Quibus autem hoc integrum non fuit, per literas eum conſulebant, animoque præſentiam compenſabant, vt præ ceteris D. Hieronymus, qui ex Bethleem in Africam tranſuolare deſiderabat, vt Auguſtino coràm frui poſſet. Verba eiuſdẽ ſunt: *Scribo Reuerentiæ veſtræ, teſtem inuocans Deum, quòd ſi poſſet fieri, aſſumptis alis columbæ, veſtris amplexibus implicarer.* Idem in aliâ Epiſtolâ, quam ad Auguſtinum dedit, ita ſcribit: *Omni tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus ſum, & habitantem in te dilexi Dominum Saluatorem: ſed nunc, ſi fieri poßit, cumulo aliquid addimus, & plena complemus, vt abſque nominis tui mentione, neque vllam quidem horam præterire patiamur.* Quapropter etiamnum

Super conuerſijs in conſilium adhibetur.

Epiſt. 24. apud Auguſtinum.

Epiſt. 25. *Inſignis D. Hieronymi in S. Auguſtinũ affectus.*

num in fidei controuerſijs ad Auguſtini ſententiam velut ad Oraculum recurritur. Cùm enim, vt præclarè quidam nouus auctor, ab Apoſtolorum temporibus, Eccleſia clariſſimis atque doctiſſimis viris abundarit, qui controuerſijs exortis, operam ſtrenuè nauarunt, ac veritatem omnibus manifeſtam reddiderunt; nemo tamen fuit hoc vno inſtructior Dei naturęque donis, nemo ad rem Orthodoxam iuuandam, fidemque modis omnibus ſtabiliendam, plus ſtudij diligentiæque contulit. Audit ergo meritò, grandis Eccleſiæ columna, fortiſſimus hæreticorum malleus: *Doctor magnorum Doctorum, à Deo doctus, homo qui de fonte diuinitatis bibit; ter-ſanctus inter doctos, & ter-doctus inter ſanctos, Cherubim per ſcientiam, & Seraphim per amoris ignem*, cuius doctrina non vnius Principis vel prouincię auctoritate, ſed plurimarum nationum & ingentium populorum, adeoque totius Eccleſiæ Catholicæ ſuffragiis, legibus, moribuſque fundatur: quæ denique doctrina non LX. vel LXX. dumtaxat, ſed annis retrò M.CC. terrarum orbi propoſita, recepta pariter atque comprobata, tot ſæculis aduerſus hæreticorum inſultus inconcuſſa ſtetit. Quis porrò in Catholicam Religionem æquus, non præcipuè diuum Auguſtinum ex

Hier. Torrentius præfat. in Confeſſ. Auguſtin.

Bern. Ser 8 ſuper Cantica.

P. Ribadineira in Vitâ.

Doctrina D. P. Auguſtini iam annis retrò 1200. recepta & comprobata.

ex omnibus veritatis aſſertoribus vnum colat, meritoque eum veneretur, propter incomparabilem in omni laudum genere excellentiam? Qui Catholicę veritatis teſtis omni exceptione maior, non de ſuâ tantùm ſed & de communi antiquorum Patrum & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſtabili confeſſione, nos bonâ fide reddit certiores, qui Eccleſię Doctor, ab odio & amore partium omnino alienus, præclarè apud omnes ſuo merito audit Paſtor & Epiſcopus: in quo iure miretur tota poſteritas ingenij acrimoniam, doctrinæ ſoliditatem, S. Scripturæ peritiam: in diſſerendo ſubtilitatem, in aſſerendo conſtantiam, in iudicando ſapientiam, in viuendo ſanctimoniam, in agendo fidem & induſtriam ſingularem.

CAPVT XL.

Etiam hæretici D. Auguſtinum ſuſpiciunt.

PROPTEREA etiam ipſimet Religionis noſtræ aduerſarij, qui vel exiguum vel nullum honorem Patribus deferunt, cùm alioqui fallaciis impẽsè dediti ſint, & eoſdem Patres inſimulent fallaciæ; impulſu tamen veritatis (quæ ex inuitis interdum erumpit pectoribus) adacti, vnum ſæpè Auguſtinum excipiunt, & tamquam illibatæ doctrinæ magiſtrum obſeruant: imò quod

eſt

est amplius, ipsi Apostolo Paulo parem, vel certè proximum statuunt. *In scholâ nostrâ*, inquit P. Melanchthon, *gratam Augustini mentionem esse decet: cuius doctrina cùm sit necessaria Ecclesiæ, meritò Augustinum amare debemus, qui cælestem illum thesaurum præcipuè conseruauit.* Ampliùs etiam Caluinus Augustino tribuit, qui censet ab eodem omnem antiquitatis doctrinam compendiosiùs & fideliùs traditam. *Nec opus*, inquit, *est laborando inuestigare quid veteres senserint, quando vnus Augustinus ad id sufficere potest. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi voluerint.* Hæc Caluini aliorumque nouatorum, suo se gladio, instar Goliæ, perimentium, de S. P. Augustino censura: qui sibi & Ecclesiæ Romanæ perpetuam constantiam seruans, verioribus antiquorum Patrum encomiis ornatur.

Declamatione in S. Augustinum.
NOTA.
Lib. 3. Instit. cap. 3.
NOTA.

CAPVT XLI.

Orthodoxi Patres certatim laudibus accumulant B. Augustinum.

ATQVE vt ex multis paucorum adferam testimonium, *Macte* (inquit Hieronymus) *virtute, in orbe celebraris, Catholici te cõditorem antiquæ rursum fidei venerantur & suspiciunt, qui contra flantes ventos*

Epist. 25. apud S. Augustinum.

tos ardore fidei perstitisti. Et alibi : *Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, à te dissertum est.*

De eodem S. Paulinus Nolanus : *O verè sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur. O Ecclesiæ lucerna, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas! Os enim tuum, fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim.* Et alibi : *Augustinus subtiliùs omnibus volans, omnia reserauit, & ideò meritò Angelus non naturâ, sed gratiâ nuncupatur.* Epist. 31. apud Augustinum. Epist. ad Valerium.

De eodem Cęlestinus Pontifex: *Augustinum sanctæ recordationis virum, numquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit.* Tom. 1. Conc. ad Episc. Galliç.

Possidius : *Augustinus homo cælestis, imago diuinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ, præco veritatis, eructator diuinorum eloquiorum, inquisitor prædictorum. Augustinus par Angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum reuelatione, par Apostolis in prædicatione, par Martyribus in desiderando passionem, par Confessoribus in disciplinarum tra-* In Epist. ad Macedon.

ditione, & par Virginibus in continentiæ obseruatione. Et concludit: *Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essem sufficiens ad laudandum tantum Patrem ac Doctorem.* Ac in eumdem modum ij, quos subiicio, permagnificum de eodem testimonium reddidêre.

Epist. ad Amatum. Hilarius Episcopus Arelatensis: *Doctor excellentissimus Augustinus, defensor Fidei nostræ, in diuinâ meditatione semper assiduus, metu mortis intrepidus, destruxit sacrilegos, atque superauit hæreticos.*

In Prologo super Psal. M. Aurelius Cassiodorus: *Doctor eximius beatissimus Augustinus, debellator hæreticorum, defensor fidelium, literarũ omnium egregius magister, decurrit tamquam fons purissimus nullâ fæce pollutus; sed in integritate fidei perseuerans, nescit locũ dare hæreticis,* &c.

Lib. 8. Registr. c 37. Gregorius Magnus: *Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini Opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis.*

Lib. De duabus naturis in Christo. Ioannes Pontifex Romanus: *Augustini doctrinam secundùm præcessorum meorum statuta, Romana sequitur & seruat Ecclesia.*

Lib 6. Etym. c. 8. Isidorus Hispalensis Episcopus: *Hieronymus sex millia librorum Origenis se legisse fatetur, horum tamen omnium studia Augustinus ingenio & scientiâ suâ vicit.* Quare

Pro-

Proſper ſcientiam eius comparat arenæ: vt enim hæc innumerabilis, ita & libri ab eo editi.

Serapion: *Fateor me Auguſtini aſſertiones ita probatas habere, vt ſeipſum ore ſuo hæreticum detegat, qui Auguſtinum putauerit in aliquo reprehendendum eloquio.* Inter recētia Opera S.Irenæi

Ildephonſus, *Audiant*, inquit, *B. Auguſtinum, cui contradicere fas non eſt.* Serm. 2. de B. Virg.

Remigius Antiſiodorenſis: *Sicut ſol in lumine excedit omnes planetas, ita Auguſtinus omnes Doctores exceſſit in exponendis Scripturis.* Et alibi: *Sicut ſtellæ lumen à ſole recipiunt, ſic omnes Doctores ſcientiam recipiunt ab Auguſtino.* In 2. ad Corinth. In Pſalmorum expoſitione.

Rupertus Tuitienſis: *In Auguſtino Spiritus manifeſtè operatus eſt, quod ſe dignum fuit: ad laudem ſuam, ad Eccleſiæ ſuæ defenſionem, Catholicæq́; fidei perpetuam munitionem. Iſte eſt Auguſtinus, columna & firmamentum veritatis: & verè columna nubis, in quâ thronum ſuum poſuit ſapientia Dei.* Lib. 7. De oper. Spiritus ſancti, cap. 19.

Haymo: *Auguſtinus in elucidandis quæſtionibus, omnes Doctores poſt Apoſtolos præcellit.* In 2. ad Corinth. c. 12.

B. Vincentius Ferrerius: *Audeo dicere, omnes Doctores qui venerunt poſt Auguſtinum, ſuſtentantur ſuper eius doctrinam, ſanctam, puram, Catholicam auri puriſſimi, ſine* Serm. De S. Auguſt.

errore falsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictũ suum, si potest habere vnam auctoritatẽ Augustini.

Concilium Quintum Generale: *Sequimur per omnia S. Augustinum, & suscipimus omnia, quæ de rectâ fide, & condemnatione hæreticorum exposuit.*

Concilium Florentinum: *Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorum Quinta Synodus consecrauit.*

Ecclesia: *Augustinus Lux Doctorum, Firmamentum Ecclesiæ, Malleus hæreticorum, Summum vas scientiæ.*

Serm. De Translat. S. Monicę. Martinus V. *Quicumque de Christo, de Fide, de Religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, vt nihil penè ex Sacris literis posset nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo iam auctore factum vt nec Philosophis sapientiam inuideamus, non Oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus; non denique nobis acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non grauitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non cuiusquam illius generis hominum scientia ac virtus documento nobis esse debeat. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scri-*

Scripturarum sensum exprimit. Vnus postremò omnium Patrum sapientumq; ingenia ac studia exhibet. Si veritatem quæritis, si doctrinam, si pietatem; quis doctior, quis iustior, quis, vt ita dicam, sanctior Augustino? Et paulò pòst: *Augustini tanta exstant erga omnem Catholicam Ecclesiam beneficia, vt nulli penè, ita dicam, Sanctorum maiora merita debeamus. Quidquid enim simul omnes Apostoli plantauerunt, quidquid Apollo atque alij Apostolorum sectatores rigauerunt, hic coronauit. Quamobrem quæ mulier Religionem expetens, nolit inter B. Monicæ dicatas censeri? Quis hominum sub alio potiùs debeat quàm sub Augustino capite, velle tueri Religionem? Nempe si magna est Philosophorum gloria, vbi alicuius clarissimi Principis sectatores dicuntur; quanta vobis* (ad Eremitas Augustinianos exclamat) *& quàm merita vestræ Religioni laus est, Augustinum ducem ac parentem habuisse?*

Ioannes Baptista Ægnatius: *Neminem certè inuenies quem ipsi Augustino præponas, siue vim ingenij, siue acumen aut præstantiam rerum scriptarum æstimes. Siquidem tam vera est in eo pietas, talis fides, tanta eius doctrina, vt nemo sit, qui vel transuersum vnguem ab eius sententiâ discedere audeat.* De exemp. Illust. vir.

Pamphil. in Chron. f. 24.

Ludouicus Viues: *Fuit viro illi* (Augustino) *studium vberrimum, cognitio sacrarum Scripturarum exactissima, iudicium acre & extersum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipse sincerioris pietatis diligentissimus propagator, moribus mansuetissimis, & ad caritatem Euangelicam effictis, vitaq; sanctitate insignis & adorandus.*

Lib. 3. De vitâ contempl. & Epist. De grat. & libero arbit.

S. Prosper: *S. Augustinus Episcopus, acer ingenio, suauis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in Ecclesiæ laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni actione suâ comptus, in expositione fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absoluendis acutus, in reuincẽdis hæreticis circumspectus, & in explicandis Scripturis canonicis cautus: præcipua in hoc tempore portio Domini sacerdotum.* Et lib. Περὶ ἀχαρίστων, quod honoris caussâ hîc, velut catastrophen subiicio, hoc carmen cecinit:

Augustinus erat, quẽ Christi gratia, cornu
Vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo,
Accensum vero de lumine; nam cibus illi
Et vita & requies Deus est, omnisq; voluptas
Vnus amor Christi est, vnus Christus honor illi,
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia tẽplo.

Istius

Istius ergo inter cũctos, qui de grege sancto
Insanæ pepulêre feras, industria maior,
Maius opus, totũ præstantiùs imbuit orbẽ:
Nam quocumque gradum conuertit callidus hostis,
Quiq; per ambages ancepsiter egit opertas,
Huius ab incursu est præuentus, mille viarum
Insidiis aditũ non repperientibus vllum.
Cumq; foris rabies auidorũ exclusa luporũ
Frenderet, inq; omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes vllarũ ouium corrũpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis.
Istius ore viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum fluxêre per omnem,
Quæ mites humilésque bibunt, campisq; animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere riuos.

Hieronymus denique Torrentius suprà, & Ioannes Pistorius Nidanus (apud Ant. Posseuin. in Augustino) Ioanni Pappæ hæretico, *Accedes*, inquit, *ad Christi Ecclesiam explicatam in S. Augustini De vnitate Ecclesiæ libro; qui vnus Augustanæ confessioni iugulum incîdit, & Lutheranismum euertit funditus.*

CAPVT XLII.

Amor D. Augustini ineffabilis in Deum.

QVAMVIS ergo suffragiis omnium, quos equidem legi, (Apostolos excipio) vnius Augustini sapientia præstiterit
Lib. 15. De Trin. c. 18. vniuersis; eius tamen caritas, *quæ Deiformes homines reddit, & sola diuidit inter filios regni, & filios perditionis æternæ*, longè pluribus spatiis antecessit: ac proinde si vicit sapientiâ reliquos, consectarium vt & vicerit caritate, cuius est vnius instar tantum, quantum est aliorum omnium: *Sola*
Lib. 50. Hom. 5c. *enim caritas sufficit, si adsit; cetera omnia nihil prosunt, si sola caritas desit*. Quâ inflammatus, *Scis*, ait, *occultorum cognitor Deus, quoniam non solùm terra, sed omnibus quæ in eâ sunt, tu mihi carior es: sed etiam ipso cælo, & omnibus quæ in eo sunt, tu mihi acceptabilior es.* Porrò ne hoc transeam quod ad ineffabilem eius amorem spectat, in ceteris tria hîc eum desiderasse ferunt: videre Romam triumphantem, audire D. Paulum concionantem, & Saluatorem nostrum amabiliter cum hominibus in terrâ congredientem. Est hęc tria complexus Iulius Scaliger isto Epigrammate:

Ne egredere è solo, ac terrico Pater alme recessu
Vt Iesum videas, Christus vbiq; tibi est.

Ne

Ne egredere, vt Paulum auscultes magna illa sonantem:
In cælo Paulus mox tuus hospes erit.
Ne egredere vt Romam spectes, stomachabere quando
Roma erit in Romá nulla reperta tibi.

Itaque vt redeam ad amorem eius quo in Deum exarsit; à non paucis refertur, & apud classicos auctores legisse memini, licet in operibus eiusdem non deprehenderim, Augustinum quodam tempore quasi de cęlo vocem Dominicam audiuisse, quæ eum velut alterum D. Petrum, super amore ipsius in Deum tribus vicibus interrogauit in hunc modum: Augustine, amas me? respondit ille: Domine tu nosti quia amo te. Agedum, inquit, edissere quantopere me ames. Subiecit Augustinus: Si quidem Domine omnia mei corporis ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis qui per corpus est diffusus, in pretiosum balsamum verteretur; vtraque profunderem, ac in tui solius honorem, velut holocaustum, integre sinerem conflagrare. Excepit iterùm Christus: Anne haud faceres quidquam amplius? Respondit Augustinus: Si venæ meæ omnes neruique vincula forent aurea, inseparabiliter te cordi meo illigarem. Tertiò Christus ad eum: Insuper duobus istis

Pelbert. & D. Vega ser. Do. 12. post Pent. P. Vald. in Theatr. f. 86. B. Rosignol. De discipl. Christ. perf. lib 5. cap. 20. I. Cröbec. lib 1. De studio perfect. c. 35. H Osor. serm. De S. August. Ribadin. in Vitâ eius, & alij.

istis ardentiorem abs te amorem exigo: reddidit ille paradoxon ac sermonem penitus inauditum: Tantâ te, inquit, Rex gloriæ dilectione prosequor, vt si (quod esse quamquam non potest) ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omnino vellem ego fieri Augustinus, vt tu fieres Deus. Id ipsum

P. Nicasius Baxius in Poëmatis.

est hoc epigrammate comprehensum:

Δήποτ' ἐρωτηθεὶς Αὐρήλιος, ὅσσον ἐράζῃ
Τὸν Θεὸν, ἐξαίφνης χρύσεον εἶπε λόγον·
Τόσσον, ἔφη, σε Θεὸς φιλέω, ἵν' ἐὰν Θεὸς εἴω,
Θνητὸς βουλοίμην ἔμμεναι, ὡς σὺ Θεός.

Incredibilis est sanè vis amoris, quæ conditionem fingens eam quam natura fieri non patitur, vnà scientiam præcedit Augustini, & ipsum reddit insipientem. Siquidem flagrantissimæ caritatis huius impulsu, transiit à classe scientiæ ad intimum sacrarium amoris: in quo tantum promouit, vt immemor euaserit eius quam in scholis didicerat sapientiæ; imò vt sit velut in ectasim raptus amoris impetu, suprà quã dici vel cogitari à nobis potest. Igitur amor in eo scientię præponderauit, quâ velut aliis omnibus antecessit, sic amore superasse videtur semetipsum. Atque ideò iure optimo præfert insigne toti mundo cognitum, videlicet Cor sagittis transfixum, vt eo ardentissima eius in Deum caritas omnibus innotescat.

Insigne D.P. Augustini, Cor iaculis traiectum.

Fate-

Fatetur enim (vt suprà demonstratum est) Cor suum traiectum fuisse iaculis diuinæ caritatis, quà quidem harum rerum fluxarum adulterinum amorem in semetipso nitebatur extinguere, ceterosque mortales omnes ad amandum Deum inflammare. Testimonium eius subdo: *Monemus ne mundum ametis, vt eum qui fecit mundum, liberè ametis. Bonorum summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum. Neque infrà manendum est, neque vltrà quærendum: alterum est friuolum, alterum nullum.* Et alibi: *Sit tibi domus Deus, & esto domus Dei; mane in Deo, vt maneat in te Deus: mane in Deo per caritatem inflammantem, vt is in te maneat per gratiam benefacientem.* His diuini amoris incitamentis subdebat stimulos aliquot, & velut ignes ex ardentissimâ fornace in nos quoque emicantes conuertebat. Talis primò vocatio ad fidem & Christi gratiam. Verba eius sunt: *O anima, quot & quales in comparatione tui abiecti sunt, qui hanc quæ tibi data est gratiam, consecuti non fuerunt!* Secundò, præseruatio à peccatis, quæ fit tribus modis; occasionis subtractione, resistendi datâ virtute, & affectionis sanitate. Tertiò, vocatio ad vitam spiritualem, per huius vitæ calamitates, ac internam animi consolationem: *Magna*, scribit,

Lib. 1. c. 42.

In Procemio Psalmi 121.

Tract. 2. & 9. in Epist. D. Ioã.

Lib. De dilig. Deo qui 2. est Medit. c. 7.

Lib. 2. Cõfess. c. 2.

Lib. De dilig. Deo c. p. 13.

bit, *gratia fuit, quòd me Deus à se fugientem persecutus est, timenti blanditus, quod gustu interioris dulcedinis, immundis assuetum delectationibus illexit*, &c. *Adhuc anima reminiscere, quàm iucundâ facie abrenuntianti sæculo tibi Christus occultus occurrit? Quas esurienti delicias præparauit? quas miserationum suarum diuitias, & absconditos inspirauit affectus? quo te caritatis poculo delectauit?* Deinde subdens diuinas pollicitationes, ait: *Magna dedit, sed maiora promisit, à labore nimirum requiem, à seruitute libertatem, à timore securitatem, à mærore consolationem, à morte resurrectionem, à resurrectione summum, plenum, & indeficiens gaudium. Sed quod me plus omnibus mouet & vrget* (Seruatori loquitur) *ad te diligendum super omnia, ô bone Iesu, ignominiosissima & amara mors tua est, quam sustinuisti, opus nostræ redemptionis. Hoc solùm totam vitam nostram, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum, facilè sibi vendicat.* Et verè cor nostrum integrè sibi postulat, vt in eo amoris clauis aureis configatur, qui pro nobis ferreis clauis confixus est in cruce. Exiguum est cor nostrum, cui si alia paria mille haberemus, omnino Deo cuncta deberemus. Ac propterea sunt quærenda nobis aliorum corda, quibus tantus infiga-

Cap. 15.

Cap. 17.

Summum amoris incentiuum, passio Saluatoris.

Lib. De sanctâ virginit. cap. 55

figatur amator: & planè quantum eſt hominum in hac vitâ, ad tam benefici Numinis amorẽ eſt inuitandum. *Si amatis Deum*, ſcribit Auguſtinus, *rapite omnes ad amorem Dei*, qui tot tantaque in nos ſuæ caritatis argumenta dedit. Quot enim ignominias, dolores, cruciatus vulneraque accepit, tot apparent eius amoris indicia, totque viciſſim in nobis ad eum redamandum incentiua debent exiſtere. Hanc ob rem frequens ille dicebat: Qui non amat te Domine propter opus creationis, infernis pœnis dignus eſt: quid dicam de eo qui non amat te ob redemptionis beneficium? Ille, ſi fieri poteſt, infernũ nouum meretur. Is amor vt magis & magis accendatur, & in flammas erumpat, *Inſtanter*, ait, *orare oportet, quò tantum hoc ſibi augeatur donum, vt non ſolùm pro illo quis contemnat delectationes ceteras, ſed etiam quaſlibet perferat paſſiones*. Quod eum ſtudioſè feciſſe, argumento eſt illud frequens eius dictum: *Quis mihi det acquieſcere in te? Quis mihi dabit vt venias in cor meum, & inebries illud, & obliuiſcar mala mea, vt vnum bonum amplectar te?* Et alio loco: *Heu mihi, quàm excelſus es in profundis, nuſquam recedis, & vix redimus ad te. Age Domine, & fac, excita & renoua nos, accende & rape, flagra & dulceſce, iam*

Enarrat. 26 in Pſal. 33.

Conc. 17. in Pſal. 118

Lib. 1. Cõfeſſ. c. 5.

Lib. 8. Cõfeſſ. cap. 3. & 4.

iam amemus & curramus. Denique alibi: *Da mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo, etsi parum est, amem validiùs. Non possum metiri, vt sciam quantum desit mihi amoris ad id quod satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantùm scio, quòd mihi malè est præter te, non solùm extra me, sed in meipso. Et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

Lib. Meditat. cap. 18.

NOTA.

CAPVT XLIII.

Christi vulnerum stigmatis cor D. Augustini saucium fuisse creditur. Permira quæ de eodem corde scriptis prodita sunt.

QVAMVIS autem tanta fuerit amoris huius intensio, tantumq́ue ardentes hę sagittę penetrauerint animum eius (nam quantum præstat animus corpori, tantum vulnus amoris internum externo corporis vulneri) nihilominùs asserunt nonnulli viri graues (forsitan inducti verbis hisce Augustini, *Sagittaueras tu Domine caritate tuâ, cor meum,* &c.) non tantùm spirituali vulnere seu tralaticio, verùm etiam arcanis sacrorũ vulnerum Iesu Christi stigmatis sauciatum Augustini cor fuisse; nimirum vt ipsum omnimodis Dei esse demonstraretur. Vnde Emanuel Corea parte secun-

Vincent. Ferrer. D. Bonau. teste Mabur. t. 20. circa fin. Flor. Batauus lib. 5. De instit. Christ. c. 11. Ioann. ab Angel. in Triumph. amoris Dei p. 1. c. 11.

cundâ Hiſtor. S. Ioannis Saguntini:

Gentis Eremicolæ Pater Auguſtinus, amore
Diuino accenſus, Chriſtū meditatus, ab illo
Fonte capit plagas, ex illo fonte ſagittas.

Teſtantur ad hæc veteres nonnulli, cor ipſum non eſſe coniunctum reliquo corpori, ſed cùm moreretur, vel ab Angelo, vel à quibuſdam ipſius Auguſtini piis cultoribus, quemadmodum fieri nonnumquam ſolet, viſceribus ceteris exceptum fuiſſe, interque varias procellas temporum delituiſſe, quouſque ſub annum D CCCC. L I. Sigiſbertus Epiſcopus Lugdunenſis, S. Auguſtini præcipuè ſtudioſus, diuinitus idipſum accepit. Solebat is ardentibus votis à Deo expetere, vt pro amore, quo in ipſum Patrem Auguſtinum ferebatur, aliquâ dumtaxat ſacrarum reliquiarū particulâ ſe donaret, priuſquam ex hac vitâ decederet. Quas preces cùm ex more ſub horam primam in oratorio ſuo frequētaret, ſubitò ipſum obdormiuiſſe, & Angelum non ita pòſt veniſſe ferunt cum vaſculo cryſtallino pereleganti, & inimitabilis artificij, quod aurei circuli ambiebant, & cuius pedunculus erat ex auro obryzo, ipſaque pyxis monilibus intertexta lucebat. Quam cùm idem Angelus ſummâ reuerentiâ in ſacelli eiuſdem altari reclinaſſet, ad Epiſcopum conuerſus, Ecquid

Antiqui German. cod. manuſcripti. H. Roman. Cent. 6.

Cor D. Auguſtini diuinitus allatum Epiſcopo Lugdunenſi.

Ecquid dormis Sigilberte? dixit, Expergiſcere. Quo rogante quiſnam ad ſe loqueretur, Reſpondit ille: Sum Angelus, quondam Auguſtini tutelæ traditus, qui etiam cordis eius ſingularem habeo rationem. Sic enim Deo viſum eſt, vt ne periret hoc, quod tantopere in ipſius amorem exarſit, & quod adeò diuini amoris ſategit, quodque tam ſubtiliter de ſanctiſſimâ Trinitate diſſeruit. Quamobrem exurge, & accipe munus iſtud eximium, quod tibi præſertim à Deo ſum iuſſus ferre, in tui piorumque hominum conſolationem. Quo dicto Angelus diſparuit. Epiſcopus verò pro tantâ in ſe beneficentiâ penitus amore incenſus, reſpexit in altari eiuſdem ſacelli prædictam vrnulam pretioſiſſimam, in quâ Cor erat diui Auguſtini, tam vegetum tamque recens, ac ſi tum primùm fuiſſet de corpore eiuſdem acceptum. Quo tam præcellenti munere affectus Sigiſbertus, ingentes Deo gratias egit, ac populares ſuos idipſum latêre nolens, per vniuerſam diœceſim promulgari iuſſit. Cuius rei famâ commotus populus, ex vrbibus & pagis adiacentibus, viſendi ſtudio ad Epiſcopum vndique confluxiſſe dicitur. Cùm verò in grâtiarũ actionem, ſicut eſt in more, caneretur hymnus *Te Deum*, eſſetque peruentum ad hunc verſi-

verſiculum, *Sanctus*, *Sanctus*, &c. viſum eſt cor ipſum nouo miraculo commoueri, palpitare, atque exultare in Deum viuum, ac ſi recens fuiſſet ſauciatum illâ ter amabili ſagittâ ſanctæ Trinitatis. Similes motus habuiſſe perhibent anniuerſariâ die, cùm eo in altari maiore depoſito Sacrum fieret; quoties videlicet Sancta Trinitas voce ſacerdotis exprimeretur. Quo tam ſtupendo miraculo perculſus omnis populus in Dei laudem prorupit, & B. P. Auguſtinum vnanimi voce concelebrauit. Idem ferè totidem verbis confirmat B. Iordanus è Saxoniâ, aſſerens ex probatiſſimorum virorum fide in Eccleſiâ (vt loquitur) tam incliti Doctoris, cor vaſculo cryſtallino incluſum, quoties Beatiſſima Trinitas coram eo nominabatur, vel liber eius de eadem conſcriptus expandebatur, notabiliter exiliiſſe. Effert id ſuper alia id genus mirabilia, quæ alicui Sanctorum accidêre. Legitur quidem, ait, quòd oſſa Eliſæi poſt mortem eius, mortuum ſuſcitarint. Item quòd in corde beati Ignatij repertum eſt nomen IESV, literis aureis inſcriptum; & quòd oſſa diuorum Nicolai & Catharinæ riuis olei ſcaturirent: ſed his omnibus videtur admirabilius, quòd cor D. Auguſtini poſt mortem habuit motus, velut intel-

Liber Panis quotidianus, in Biblioth. monaſterij S. Laurêtij in Eſcuriaco.

Serm. 149. de Sanctis. Liber MS. in Biblioth. monaſterij de Turrib. in Luſitan.

Sũmâ admiratione dignum.

ligentis naturæ, ad pronuntiationem, vel etiam ſcriptionem Sanctiſſimæ Trinitatis ſemet efferendo. Idem facere ſolitum in Miſsâ, ad recitationem horum verborum, Sanctus, Sanctus, &c. refert liber inſcriptus, *Panis quotidianus* Anagniæ impreſſus anno M. D. I X. Adduntid temporis, quo ſolitum erat in altari publicè videndum exhiberi, neminem hæreticorum auſum fuiſſe eam Eccleſiam ſubintrare. Imò ſi quis auſu temerario idipſum attentaſſet, inſtar Ananiæ & Saphiræ confeſtim emori, vel ſaltem conſternatum ad limen templi iacere. Eam proin eſſe cauſſam, ob quam S. Auguſtinum pingunt cum hæreticis quibuſdam ad pedes eius abiectis, ac velut emortuis. Aſſolet denique cor ipſum attingi quibuſdam ſphærulis ſeu amuletis, & illa domum velut reliquiæ inter ſacra referri. Confirmat id perilluſtre decus familiæ noſtræ, P. Auguſtinus de Iesv à Caſtro, Bracharẽſis Archiepiſcopus, qui auctoritate Gregorij X I I I. Bauaricam prouinciam viſitans, inter ceteras reliquias argenteam Monachij capſulá deprehendit, quam pòſt in Luſitania retulit, pluribus ſeris obfirmatam: in quá ſeruabatur corculum ferreum, magnitudinis vnius acini, obductum aureo circulo, cum hac inſcriptione: *Cor admo-*

ium

H. Roman p. 1. Chron. cap. 35. Manuſcr. Salmãticę.

Corculum ferreum & aureum.

tum verò cordi S. Augustini: ferreum propter nimiam eius constantiam, & aureum propter inflammatam eius caritatem.

CAPVT XLIV.

Summa D. Augustini à mundo & creaturis auersio.

ITAQVE mirum haud videri debet, (quamquam hoc ipsum ingens est miraculum) si tam efficacibus indiciis honoris, est Augustinum Deus à morte prosecutus. Fuit enim, vt iam non semel ostensum est, non vsitata nec cõmunis eius in Deum caritas; quâ sic in Deum ferebatur, vt creaturas omnes negligeret, & negligendas esse proclamaret ei, qui Dei filius & heres esse desiderat. Elegantissimas tanti viri sententias pro rei naturâ Lector tecum expende: *Væ tibi, si amaueris condita, & deserueris Conditorem. Pulcra tibi sunt, sed quanto est pulcrior qui ista formauit?* Et alibi: *Auare quid aliud* (quàm Deum) *petas? quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit? Quanta tibi mundus post dorsum strepit, vt retrò respicias? id est, vt in rebus præsentibus, nec præsentibus (non enim dicenda sunt præsentia, numquam stantia) spem tuam ponas, & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit (sed quia fidelis est, dabit) auertas animum tuum,*

Tract. 2. in cap. 2. Ep. S. Ioã.

Solus Deus expetendus.

Serm. 29. De verb. Domini.

& velis requiescere in mundo pereunte. Ideò enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt aliqua quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax. Et infrà: *Quid strepis munde immunde? quid strepis? quid auertere conaris? Tenere vis periens: quid faceres si maneres? quem non deciperes dulcis, si rebus amaris alimenta mentiris?* Item: *Si ista* (nimirum creata) *diligis, vt subiecta dilige, vt famulãtia dilige, vt arrham sponsi, vt munera amici, vt beneficia domini: sic tamen, vt memineris semper quod illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illũ; nec ista cum illo, sed ista propter illum; & per ista illum, & super ista diligas illum. Non enim te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem, sed ad hoc laudare & probare, vt ames creatorem. Quemadmodum si sponsus faceret sponsæ suæ annulum, & illa acceptũ annulum plus diligeret quàm sponsum qui illi fecit annulum; nónne in ipso dono sponsi, adultera anima deprehenderetur; quamuis hoc amaret, quod dedit sponsus? Ad hoc vtique arrham dat sponsus, vt in arrhâ suâ ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit ista. Plus est quod tibi vult dare,* id est, *seipsum qui ista fecit,* &c. *Tenete potiùs dilectionem Dei, vt quomodo Deus est æternus, sic & vos maneatis in æternum,* &c.

Mundus immundus repudiandus.

Tract. 2. in c. 2. Ep. S. Ioan.

C A-

CAPVT XLV.

Omnia D. Augustini dicta, facta, & scripta Dei spirant amorem.

QVEMADMODVM autem qui moschum, vel alia vnguenta exotica conferunt, non possunt non odorē istum prodere; sic nimirū sanctus Parens noster, cuius erat cor imbutum penitus illo amore Dei, non potuit eum non diffundere: nam familiare colloquium eius, omnisque sermo Deum & honorem eius spectabat. Ceterùm in corporibus elementum quod præstat, reliqua secum vnà trahit ad eum terminum, quem naturaliter appetit; sic amor Dei, in quo primas obtinet, mentem eius, linguam, manum, reliquaque membra cō pertrahit: hanc quidem vt diuina cogitet, istam vt de Deo loquatur, illam vt de eo scriptitet. Propterea libri eius vbique spirant diuinum amorem, sic vt eorum serius Lector non eruditionem tantùm, sed etiam ardentissimam caritatem inde queat ad se deriuare. In iisdem nihil videas frigidum, nihil leue, nihil ambitiosum; omnia verò inflammata, aculeata, seria, sana, melliflua, ac religiosa. Ex illis non olim tantùm Concilia suis decretis, sed & hodie frequentiùs pro concione, magno audito-

Climach. in Cōpend. Recapit. gradu 26.

Amor Dei per externas functiones prodiuur.

rum applausu, diuini verbi præcones robur suæ dictioni mutuantur; simulq; luce meridianâ clariùs, in operibus S. Augustini illibatæ fidei & morum candorem, velut in speculo contemplantur. Atque illud ad extremum dixero, Augustinum totum inflammatum amore, instar alterius Eliæ in Ecclesiâ *surrexisse quasi ignem, & verbum eius quasi faculam arsisse*; omnes vicissim hoc amore flammeo succendentem, & quidquid amoris proprij, id totum in eis extinguere connitentem: hunc enim hominis suiipsius amorem, tamquam capitalem hostem vbiuis insectabatur; propterea quòd sicut totum hominis bonum est amare Deum, ita totum hominis malum sit amare seipsum & inhærere rebus præsentibus. Ex hac enim radice docebat existere mordaces curas, perturbationes, mœrores, formidines, lites, inimicitias, odia, hæreses, blasphemias, denique contemptum Dei (vt in Angelorum principe apparuit,) & quidquid aliud est malorum, in hominũ genere nasci, ideoq; omni ratione propellendam hãc philautiam; & per amicum suimetipsius odium, sincerum amorem Dei postliminio reducendum esse: *vt sicut homo periit amando se, inueniatur negando se.*

S. Augustinus instar Eliæ amore inflammatus.

Eccles. 48.

Manual. cap. 26.

Lib. 22 De ciuit. Dei cap. 22.

Serm. 47. De diuersis, in c. 17. Matth.

C A-

CAPVT XLVI.
Paupertas D. Augustini in cultu externo.

RELIQVVM vt ad ea veniamus quæ omniũ possunt oculis vsurpari. Cùm probè nosset, sordes apud vulgus contemptum parere, splendorem vero non carere vituperio; sectatus est in victu & vestitu (vt & in aliis omnibus) auream mediocritatem, non nimis nitida vel abiecta consectando; ideoque numquam, vt refert Possidius, clauem vel annulum gessit; magis compositione morum, quàm vestium ornatu placere contentus. Vestem autem sericam, byssinam, aut vulgò pretiosam induere prorsus erubuit: & si quæ similis offerretur, mox vendebat, pretio dumtaxat in commune redacto: *Non enim*, inquiebat, *decet hæc membra, hanc professionem*: adeò vt Ecclesia meritò vocet illum *Amatorem paupertatis*. Vt enim qui procantur, in amoris signum concoloribus amasiarum induunt se vestibus, & in eum finem etiam illicitis quandoque artibus vtuntur, suffurando cimelia parentum: ita S. Augustinus paupertatis huius sacræ, velut carissimæ sponsæ incensus ardenti desiderio, quoad eius facere potuit, in omnibus rebus eius

Cap. 24. Vitæ.

Bern. lib. De modo benè viuendi, c. 9.

D. Augustinus amator paupertatis.

indolem, vt ita dicam, ac colores expressit, non in vestibus opere Phrygio factis, vel bysso aut purpurâ constantibus, verùm iis quæ modestiam aspicientibus insinuarent. Eamdem virtutem obseruauit in ædibus, supellectili, & Episcopalibus ornamentis: vti docent pedum eius Pastorale, neutiquam ex auro vel argento, sed his longè inferiore materiâ: similiter & mitra, quam Valentiæ nos asseruamus, ex linteo dumtaxat albo fuit. Quin adeò sanctæ paupertatis erat studiosus, vt ob eam Ecclesiæ suæ vasa sacra cimeliaque, in vsus pauperũ distraheret. Ac ne quidem post mortem diuitias & paupertatem desiit auersari, dum (vt latiùs docebitur) noluit corpus suum à rege Luitprando sumptuosâ veste ornato deferri.

Martin. V. serm. De translat. S. Monicæ.

Inf. c. 68.

Capvt XLVII.

Temperantia D. Augustini in victu: detrectationis execratio: pauperum, & maximè iuuentutis, studiosa cura.

Mensa est vsus Episcopus tenui ac frugali: ea non opiparis ferculis, vel argenteâ supellectile renidebat, sed vasis ligneis præter cochlearia erat instructa; non quidem ob inopiam, sed voluntatem paupertatis studiosam. Vescebatur autem, vt sem-

ſemper, oleribus aut leguminibus, interdum autẽ, hoſpitibus aduentantibus, pauxillum carnis adhibebat. Nihil in cibo, potu, balneis, ceteriſque id genus corporis ſeruitiis exquirebat, præter ipſam neceſſitatem, voluptati nihil indulgendum ratus. Quare de nonnullâ quam interdum admiſerat delectatiunculâ ſemetipſum accuſans, *Docuiſti me*, inquit, *vt quemadmodum medicamenta*, quæ parciſſime cum auerſione ſumimus, *ſic alimenta accedam ſumpturus. Carnem autem ieiuniis & abſtinentiâ domandam* monebat, *quantum valetudo permittit*, ideoque ſuis *nihil extra horam prandij ſumere* præcipiebat. Certum id ab eo factum eſſe in eum finem, cùm vt corpus temperatius euaderet (eſt namque ſobrietas mater ſanitatis, vti ventris ingluuies vertiginum, catarrhorum, ſubitæq; mortis cauſſa) tum vt hac voluntaria corporis maceratione, peccata expiaret, *Excrucio*, inquit, *me, vt Deus parcat; do de me pœnas, vt ille ſubueniat, vt placeam oculis eius: nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur.* Denique vt carnem menti magis ſubiiceret, *Si enim*, inquit, *equo vtereris, qui te geſtando poſſet præcipitare, nonne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quando fræno non poſſes? Caro*

Li. 10. Cõfeſſ. cap. 31.

Alimenta vt medicamenta ſumenda.

In Regulâ ad ſeruos Dei.

Chryſ. De Ionâ Propheta.

Tract. De vtil. ieiun.

Abſtinentiæ inſignis commendatio.

mea iumentum meum est: iter ago in Ierusalem, plerumque me rapit, & de viâ conatur excludere, ideò parciùs ei cibum porrigo. Et ne inutiliter multum temporis prodigeret; vel forsan propter oblatam occasionem, temperantiæ limites excedendo, rebellionis ansam corpori præberet; semper illud
Possid.c.27 tenuiter reficiebat. Tria quoque ex more
Tria ex more D. Ambrosij obseruabat. D. Ambrosij inter cetera obseruabat, ne videlicet cuipiam vxorem posceret; ne militare volentem commendaret; &, quod proposito nostro seruit, ne quantumuis obnixè rogatus, conuiuium domi seu in patriâ adiret: facile est enim in alieno prandio voluptati quidpiam dare. Mensam verò suam irradiabat non ineptis salibus, non curiosâ vel etiam noxiâ, vt fit, rerum quæ exteris in regionibus fiunt, narratione: verùm tamquam is qui in lege Domini meditabatur, sacrâ lectione, pio colloquio, vel disputatione de rebus sacris condiebat; inanibus sermonibus, ac præsertim detractionis vitio penitus excluso. Cui ne locus vllus esset, prope mensam distichon hoc in-
Possid.c.22 scribi tabellæ iusserat:

Quisquis amat dictis absentũ rodere vitã,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Cùm verò conuiuæ aliquando in hoc impingerent, alienam famam sermocinando deni-

denigrantes, ita grauiter corripuit, ſuccenſens iis ob iniuriam quæ abſentibus inferebatur, vt diceret eſſe delendos illos verſiculos, aut ſe de mediâ refectione ad cubiculum ſeceſſurum: quod ipſum Poſſidius ſe cum ſodalibus non ſemel inaudiſſe teſtatur. Et quamquam Epiſcopatus Hipponenſis eſſet inſigniter opimus, & pro quorumdam ratione, proferret annuè quadraginta ſcutatorum millia; nihil tamen inde ſibi in poſterum reſeruauit, nihil in pompam aut inanem dignitatis obſeruationem, nihil in amicorum promotionem detraxit. Atqui longè prudentiùs & laudabiliùs, cenſus annuos in pios vſus conuertit, eleëmoſynas in pauperes erogans, virgines egentes matrimonio iungens, captiuos redimens, monaſteria ædificans, templaque collapſa reſtituens. Ac ſane caducis hiſce bonis (quæ verè ſapientes pro nihilo ſemper reputarunt) ita ſe penitus nudauit, vt quadam ſimilitudine imitaretur, quantum homini licet, eum qui noſtræ ſalutis cauſsâ facultatibus omnibus adeò ſemetipſe deſtituit, vt in cruce abiectiſſimâ, quæ paupertatis eſſe figura poſſit, extremum vitæ ſpiritum profuderit. Quo exemplo diſcerent omnes, quotquot rerum, præſertim ſacrarum, gubernationi admouentur, temporaria quàm

Nihil bonorum Eccleſiæ, S. Auguſtinus in amicos deriuauit.

Sua in pias cauſſas expendit.

quàm minimum bona curare; haberentq; hoc ipsum velut antidotum ad morbum auaritiæ turpem declinandum. Igitur quidquid decenti cùm sui, tum suorum erat nutritioni super, id totum ex Christi lege & sacrorum Canonum, in homines egentes ac victus impotentes, tum etiam in rudes disciplinarum conuertebat. Siquidem vt ante Baptisma, cùm liberalibus disciplinis, tum in primis Oratoriâ facultate proderat adolescentibus; sic à Baptismo nihil ei fuit antiquius, quàm vt in eorum indole tenerâ, tamquam molliore cerâ, virtutum omnium imagines imprimerentur; vtque magis rudes optimis moribus & artibus imbuerentur, atque suis & suorum manibus, velut à teneris compositi pusiones, in viros optimos euaderent, vtilem denique operam Ecclesię Catholicæ impenderent. Sentiebat enim maiorem esse curam adhibendam in instructione, quàm educatione liberorum. *Non enim*, scribit, *iam felicitas est habere filios, sed bonos habere.* Plurimi namque perpetuis ignibus sunt à Deo traditi, propter incuriam parentum, ac pessimam educationem. Huic malo procurando, librum scripsit De instituendis seu catechizandis rudibus, in quo cuncta quæ piam educationem attinent, tam exacte tradit, nihil

Exemplo D.P. Augustini iuuentutis, maximè studiosa, ratio habenda.

In Ps. 127.

Scripsit diuus Augustinus librũ De instruẽdis & catechizandis rudibus.

nihil vt huic argumento deesse videatur. Ne quē verò pigeret ob animi elationem, diuturnitatem, aut fastidium, huic tam pio, tamque Reipub. Christianæ operi necessario, se dedere, affert exemplum matrisfamilias, quam ex amore ingenito delectat lallare, tertiata imperfectaque verba sui infantuli præire, cumque eo murmurillare, quin & præmansos cibos in osculum eius ingerere, ac similia minutissima quæque munia non sine animi voluptate præstare. Adhæc exemplo gallinæ hortatur, quæ languidulis plumulis teneros complectitur fœtus. Et vt maiora proferam, sequi Paulum Apostolum monet, qui pro nimio in Deum amore, factus est paruulus in medio suorum, tamquam nutricula fouens alumnos suos. Denique Christi Seruatoris imitatione nos inflammat, *qui cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quam ob caussam? nisi quia factus est infirmus, vt infirmos lucrifaceret.* Addit idem, quò demissiùs in hoc opere se quisque gesserit, eò maiorem vtilitatem inde collecturum esse. Ideoque parentum amorem induere monet, *nihil inquirentes ab eis, ad quos descendimus, præter eorum æternam salutem.* Cui quidem promouendæ, hoc tam deplorato rerum statu, haud scio, an

Cap. 10. lib. De catechiz. rud.

Cap. 12.

an præſentius remedium eſſe poſſit, quàm bona puerorum inſtitutio. In hac palæſtrâ etiam præſtantiſſimi quique viri, necnon Epiſcopi, bonam vitæ partē collocarunt: in quibus fuēre Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Erachlæus, Protogenes, Abbas Lupus, & alij cōplures. Vt omittam Aurelium Caſſiodorū, iuxtà doctiſſimum ac ſanctiſſimū virum, Romanæ nobilitatis decus: qui factus, vt Apoſtolus, omnibus omnia, prima quoque rudimenta, quamquam in ætate decrepitâ, docuit; idem puerorum dirigere manus, & ad characteres rectè formandos ducere non erubuit. Talis fuit D. Caſſianus martyr, qui tandem ob morum & fidei integritatem, ſuorum diſcipulorum graphiis confoſſus, doctrinæ meritum laureâ martyrij cumulauit. Quorum veſtigia ſequentes hiſce temporibus Clerici Societatis IESV, maximo totius orbis bono iuuentutem erudiunt. Quod idem multis antè ſæculis aliæ religioſæ familiæ in hodiernum vſque diem præſtitēre, ac præcipuè Benedictini, & noſtri Auguſtiniani: qui propter iniuriam temporum aliquamdiu intermiſſum, ſeu potiùs minùs propalam exercitum hoc tam pium opus, maiore contentione animorum in compluribus locis iam reſumunt; eâ re mani-

Apud Euſeb. lib. 5. & 6.

Ipſe Caſſiod. in Inſtit. diuin. & Præfat. Variar.

Scholas erigunt Patres Ieſuitæ & Auguſtiniani, erudiendæ iuuentuti.

manifestè Parentem ſuum Auguſtinum imitantes, cuius, vt ſuprà demonſtratum eſt, in docendis adoleſcentibus opera ſtudiumque exarſit.

CAPVT XLVIII.

Alieniſsimus D. Auguſtinus ab adeundis hereditatibus, niſi piam quandoq; ob cauſſam.

QVAMVIS autem cenſus aut arua ſtudiosè non compararet, libens tamen oblatos agros, vel legatione datos redditus, atque id genus eleëmoſynas; in pauperum ſubleuamen, & templorum ac monaſteriorum ædificationem accipiebat; quòd ſciret eas non minùs Deo gratas, quàm largitoribus vtiles: præparant enim eis æternam manſionem, vt Dominus Lucæ XVI. & pluribus idem D. Auguſtinus Enarr. in Pſal. LXXV. quemadmodũ & D. Gregorius lib. IV. Dial. cap. XXXVI. rem eamdẽ pulcrâ confirmat viſione cuiuſdam militis, qui diuinitus fuerat eductus in virentia, odoriferiſq; herbarum floribus luxuriantia prata, quo in loco candidatorum hominum conuentus eſſe videbantur. Inibi ædificabatur domus quædam elegantiſſimi operis, quæ diuerſis contignationibus videbatur conſtare, erantque ſubſtructi parietes & tecta laterculis aureis, quos in ædificationem

Eleëmoſyna ſui largitoribus, æternã parat manſionem.

tionem domus, ſenes pariter & iuuenes, puellæ ac pueri ſubminiſtrabant. *Quâ ex re*, ait, *colligitur, quia ſi quibus hæc pietas facta eſt, ipſi illic operatores eſſe videantur.* Igitur, vt initio dictum eſt, non tam in priuatum aliquod compendium, quàm in ipſorum bonum, qui erogabant, eleëmoſynas admittebat.

Eleëmoſyna collatori prodeſt.

Ceterùm tantum abfuit vt eam ob cauſſam in ſuſpicionem alicuius auaritiæ deuenerit, vt potiùs contra eum fuerit exclamatum, quòd defunctorum hereditates non adiret; adderentque ex eo proficiſci, quòd ſegniores eſſent fideles, vt Eccleſiam heredem inſtituerent. Quam ob cauſſam fuit ei neceſſe, pro concione defenſionem ſui comparare ſermonibus aliquot: quibus quàm eſſet remotus à philargyriâ, ſatis ſuperque deducitur.

Capvt xlix.

Exemplo D. Auguſtinus doctrinaq; monſtrat, omni ratione pauperibus opitulandum.

Adeo verò in pauperes erat beneficus, vt cùm pecunia non ſuppeteret, calices, vt ſuprà perſtrinxi, & Eccleſiæ vaſa, exemplo diui Ambroſij conflari iuberet, pretiumque eorum in vſus diſtraheret egenorum. Cui rei Poſſidius eſt teſtimonio,

Cap.47.

Poſſid.c.24

nio, qui fœdissimam carpens consuetudinem ditandi amicos, eam sanè quàm longè ab eo remouet. *Non enim*, aiebat, *Episcopi est seruare aurum, & reuocare à se mendicantis manum.* Et aliàs: *Excusationem in die iudicij non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, & eorum quæ audistis, tamquam pluuiæ fructum congruum dederitis. Si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem, vbi non inuenit facultatem.* Hinc par illa D. Ambrosij sententia, quâ dicit, *Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget.* Corollarij loco accipe raræ continentiæ in Augustino specimen. Erat Leporius quidam generis nobilitate conspicuus, ac re amplâ præditus: hunc in monasterio vnà cum pauperculis Augustinianis Deo seruire cupientem non priùs admisit, quàm amore Christi bona omnia in xenodochij, monasterij, vel basilicæ structuram erogasset. Afflictos autem, pupillos, & viduas, iuxta Apostoli Iacobi monitionem visitabat, ægrotantes libens consolabatur, eisque manus imponens, pro eorum salute rogabat, omni ratione opitulari miseris contendens. Compluribus verò mortalibus persuasit, vt in cælum facultates suas vtili sorte seu cambio præmitterent, quod alioquin hîc

Serm 49. c. 5. De diuersis.

Serm. 1. in Psal. 103.

Serm. 50. De diuers.

Leporius ad Religionem non admittitur, nisi facultatibus in pios vsus distributis.

Enarrat. in Psal. 146. & serm. 48.

oporteat eas necessariò relinquere, quibus in cælo meliùs, ac non exiguo tempore, sed æternùm frui licet. Ob eamdem caussam ridet eorum hominum vanitatem, qui bona sua legant amicis, à quibus citò traduntur obliuioni, tamquam mortui a corde, nihil ex suis bonis ampliùs referentes. Refert autem, quòd cùm Romæ esset, ab amicis fuerit deductus ad intuendum antiquitates Romanorum; seque vidisse mortui corpus detectum (Cæsaris aiebant esse) putredine ac sanie diffluente, ventre exeso, repentibus cateruatim per eum vermibus, è quibus duo in oculorum foueis pascebantur. Erat eiusdem calua glabra atque depilis, dentes absumptis labiis turpiter eminebant, eratque visentibus cadauer ipsum horrori. Quod intuens Augustinus, ad matrem exclamasse fertur, Vbinam est Cęsaris præclarum corpus? vbi magnitudo diuitiarum? vbi apparatus deliciarũ? vbi acies militum? vbi thalamus pictus? vbi thronus regalis? vbi facies decora, & emicantia hinc speciosa lumina? Transierunt omnia. *Dormierunt enim somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. Vis tu inuenire aliquid in manibus tuis posteà? in manibus nũc pone Christi, in manibus pauperum. Respice manus inanes, si vis* (iudicio sisten-

Nota. *Bona mundi à morte nihil.*

Horridum mortui spectaculum.

Serm 48.

Enarr. in Psal. 75.

ſiſtendus) *habere manus plenas.* Cùm autem inaudiſſet abſens, ſuos Hipponenſes ob ingruentium malorum metum in eleëmoſynarum datione refriguiſſe, redarguit eos his verbis: *Non ſolùm non debetis minùs, ſed etiam ampliùs facere opera miſericordiæ, quàm ſoletis. Sicut enim ad loca munitiora feſtinantiùs migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere; ſic corda Chriſtiana tanto magis debent bona, quæ in terrâ recondere diſponebant, in theſaurum cæleſtem impigrâ celeritate transferre, gaudentes quòd immortali Domino, ad quem venturi, bona propria commendarint.* Epiſt. 38. *Elegans comparatio.*

CAPVT L.

Templa conſtruit, ac Diuorum Reliquiis exornat, quæ frequentibus coruſcant miraculis.

NON paucos mortales huiuſcemodi monitionibus permouit, vt liberalitatem in pauperes ampliùs exercerent, Chriſtumque heredem ſuum inſtituerent, vtque in monaſteriorum ac templorum ſtructuram erogare de partis ſibi rebus haud dubitarent. Has ille eccleſias non tam annuis cenſibus, quàm Sanctorum Reliquiis augebat, diui in primis Stephani, plurima ibidem miracula perpetrantis; de quo ipſe: *Hereditates in pias cauſſas monitu D. Auguſtini erogata.*

Lib 22. De Ciu. Dei, cap. 8. *Nondum est biennium, ex quo apud Hipponem Regium ista memoria,* (templum intelligit in honorem S. Stephani à se conditum) *esse cœpit, & multis (quod nobis certissimum) non datis libellis* qui miracula facta complectebantur, *de iis quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt, ad septuagesimum ferè numerum peruenerant, quando illa scripsi. Tanta miracula fecit; mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus,* &c.

Ser. 51. De diuersis. Mulier erat oculorum lumine destituta, quæ simul ac illis admouit flores, qui eidem Protomartyri fuerant oblati, visum, omnibus qui aderant stupentibus, recepit. Ad hæc Martialis, inter optimates vnus, eiusdem Diui suffragiis à præfracti animi duritie liberatus, Christi Religionem ac Baptisma expetiit. Virgo item sacra Caspaliana, cùm esset vitâ defuncta, statim B. Stephani tunicâ fuit operta, & reuixit. Complura huiuscemodi de Sancto Sanctus refert, quæ hîc recensere perlongum foret, & præter institutum.

Frequentia per D. Stephanum miracula.

CAPVT LI.

Res aduersas amat, & ferre docet Augustinus.

ADVERSORVM patientissimus, calamitates, non vt vulgò æstimantur, timuit

muit tamquam mala; sed vt magnarum virtutum ſemina, fortiter pertulit: quinimò perfectionis eò fuit prouectus, vt eas virtutis cauſsâ deſideraret, ac beneficij loco duceret. *Beneficia*, inquiebat, *hæc ſunt diuina, non verbera; nec vt noceant diuinitus irrogantur, quæ ad hoc veniunt, vt hominibus paternâ clementiâ conſulatur. Ego,* inquit, *quos amo, arguo & caſtigo. Et iterùm: Fili, ne neglexeris diſciplinam Dei, neque defeceris cùm ab eo argueris; quem enim diligit Deus, corrigit; flagellat autem omnem filium quem recipit. Timeat, quem Deus corrigere non vult in ſæculo, quia eum ſupplicio deſtinauit poſt ſæculum.* Vnde ad conuitia iniuriaſque non excanduit, ſed Chriſtianâ fortitudine, vim iræ temperans, ex iis etiam vtilitatem hauſit. Quemadmodum enim animalia nonnulla tam valentem habent ſtomachum, vt vel res venenatas, ac etiam lapillos concoquant, ſic Auguſtinus tanto diuini amoris igne fuit incenſus, vt auditu duriſſima conuitia, & venenatos maleuolorum ſermones ex facili digereret: quinimò vt iiſipſis, tamquam adipe & pinguedine, repleretur anima eius. *Tot*, ſcribit, *viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & delicatæ puellæ, flammas, ignes, & beſtias æquanimiter pertulerunt;*

Calamitates Dei beneficia, non vulnera.

Lib. 50. hom. 46.

NOTA.

Similitudo

Serm. 61. De Temp.

runt; & nos hominum conuitia dicimus tolerare non posse. Vnde nescio quâ fronte, vel quâ conscientiâ cum omnibus Sanctis partem in æternâ beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. Et sanè, si caput nostrum est humile, superbum esse membrum non debet: neque rursus, si caput opprobriis saturatum fuit, æquum est vt membra nutriantur alio cibo, vel indumento contegantur alio, quàm iniuriis quibus opertum caput ipsum intuentur. In quam sententiam Ambrosius: *Mens quæ Christo Iesu feliciter nupsit, quæq; ei in Crucis thalamo libens coniuncta est; nihil tam gloriosum existimat, quàm vt Crucifixi sui iniurias secum ferat.*

Lib. De sanctâ Virgin. c. 33.

CAPVT LII.

Iniuriarum summa tolerantia atque animi mansuetudo.

ERANT proinde hæ iniuriæ S. P. Augustino non minùs quàm deliciæ dulces; atque adeò, inimicos amicis præferendos docebat; latêre enim sub sentibus locupletem thesaurum: ex amico vtilitatem plerumque referre corpus: ex inimico, si diligatur, animam maximum consequi compendium: *Plus*, infert, *diligendi sunt inimici, quàm amici. Qui enim inimici sunt, corpori*

Plus diligendi inimici quàm amici.

Serm. 59. De Temp.

pori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia. Quia qui carnalia nostra & terrena rapiunt, cælestia nobis & spiritualia congregant. Nónne magis diligendus est quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ, nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem. Itaque contra violentas iræ atque vindictæ motiones, animose contendens, æquo animo & sereno iniurias ab aduersariis illatas ferebat. Et quamuis interdum iniustissimas quasdam calumnias à se remouere conaretur, non tam suimetipsius causâ, quàm aliorum qui offensionem inde forsan perciperent; tamen cùm se frustrà niti videbat, famæ mendacia ridens, *Loquere, & senti*, inquiebat, *de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Rationem autem diligendi inimicum explicans, ait: *Sic diligendus est inimicus, non in quantum inimicus, sed in quantum homo est, vt ei hoc velis prouenire, quod tibi; id est, vt ad regnum correctus reuocatúsque perueniat.*

Lib. contra Secundinũ. Manichæũ cap. 1.

Serm. 50. De Temp.

Fuit proinde illustre Christianæ mansuetudinis exemplum: quâ virtute obtinuit ab aduersariis, vt non nisi candido affectu pertractare negotium fidei, ac non tam disputationis victoriam, quàm veritatis ad salu-

D. Augustinus Christianæ mansuetudinis exemplum.

tem necessariæ lucem, & non suiipsius proprium, sed contranitentium solummodò bonum persequi videretur. Quare in hunc modum protestari solitus erat: *Ego, quod bonâ fide coram Deo dixerim, sine vllo studio contentionis, sine aliquâ contentione veritatis, & sine aliquo præiudicio diligentioris tractationis, quæ mihi videntur expono.* Vnde licet alij furoris œstro percellerentur, nihil ille de suâ ingenitâ mansuetudine, & Angelicâ lenitate remisit, ab iniuriis regerendis omnino sibi temperans: quâ quidem suaui agendi ratione feroces multorum animos salubriter mitigauit, atque ad veritatis semitam ineundum persuasit. Etenim à sanguinariis illis ac grauioribus suppliciis, mirum quantum semper abhorruit. Ac reus quidem ille de quo suprà, cùm templi sanctimoniam sacrilegè contemerasset, quantocyùs literis ad Bonifacium datis, ne supplicio extremo afficeretur, contendit. *Quos*, ait, *diligo, arguo & castigo; non occido, nec carcere plenæ squalore retrudi desidero.* Cumque Donatistæ tum aliis tum ipsi Augustino necem aliquoties essent moliti; tantum abest vt tot errorum facinoribus commotus, ab rogando destiterit pro eis, qui vincti in carcere detinebantur; vt etiam cumulatiori lenitu-

Lib. 2. De Genes. cõtra Manichæos c. 2.

Cap. xxv.

Epist. 2. & 3. in Append.

Pro malè agentibus erat.

NOTA.

nitudinis mensurâ gratiam pro malefactis rependeret: nam & pro iisdem ad Proconsulem Donatum literas dedit, quibus ne poenâ gladij in eos animaduerteret, ipsum orauit. Et laudans Macedonij in promulgandis Imperatoris Honorij edictis mansuetudinem, ait: *Apparet in terreni Iudicis cingulo, te non paruâ ex parte cælestem Rempub. cogitare.* Nitebatur hac comitate & benignitatis studio eos emollire, quos nouerat legũ seueritate ampliùs obdurescere.

Epist. 127.

Epist. 52.

CAPVT LIII.

D. Augustinus omnem cum mulieribus familiaritatem deuitat.

CASTIMONIÆ verò planè deditus, omnes libidinis illecebras, earumque minutissimas occasiones deuitare suadebat: nihil in eis verarum deliciarum vel gaudiorum inueniri: qualescumque autem sint, & *quamtumlibet delectent, auferre omnia ista vnâ febriculam; remanere verò inanem & sauciam conscientiam, Dominum sensuram iudicem quem noluit habere custodem, & inuenturam asperum Dominum, quem dulcem patrem quærere & amare contempsit.* In quam sententiam adiungo, quæ præclarè cecinit Baptista Mantuanus:

Lib. De catech. rudib. cap. 17.

I. Baptista Mantuan.

—— *Non insidiosa voluptas*

Elegans voluptatis descriptio.

Decipiat quemquam; blandâ sub imagine semper
Ingreditur, nardi succos, vnguẽta, sapores
Mellifluos præfert, vultúque applaudit amico;
Sed nihil est sine fraude, latent sub melle venena:
Quæ postquam imprudens biberis, fugit illa repentè
Læta dolis, manet infixum sub pectore vulnus.

D. Augustini & coralli similitudo.

Vnde sibi tanto diligentiùs ab huius renidentis Scyllæ insidiis cauit, quanto incautiùs in eam impegerat. Quare non immeritò eum quidam assimilant corallo, quod in mari nascitur, & quoad inibi hæret, permolle est, sed ruboris rigorisq; quem posteà assequitur, expers: verùm aquis extractum, cùm id minimus ventus perflauerit, durescit instar petræ, induitque colorem istum gratissimum, quo vnico pretiosum censetur. Eam ob caussam, ingeniosus aliquis quem aura diuinæ gratiæ, de inquietis vndis huius sæculi, ad se pellexerat, in emblemate quod sibi fecerat, ramusculum expressit corallinum hac inscriptione:

——— Puras dum attigit auras.

Idipsum diuo Patri nostro Augustino scitè conueniat, qui cùm in adolescentiæ freto, inter-

interque Manichæorum errores, ceu inter vndas fluctuaret, tam erat mollis & cedens, vt voluptatibus corporis hinc inde raperetur: verùm vbi ope diuinâ fuit hisce libidinum fluctibus exemptus, nec non cælestis gratiæ spiramine permulsus, instar lapidis induruit, sic vt nullis libidinum insultibus deinceps cederet. Atque adeò sicut anteà consueuerat occasiones quærere turpissimarum voluptatum; sic eas ab hac suâ conuersione tantopere cœpit declinare, *vt feminarum intra domum suam nullam conuersari fuerit passus, ne quidem germanam sororem, quæ vidua Deo seruiens multo tempore vsq; in diem obitus sui* (in primo Virginum sacrarum monasterio, quod Africa ab Augustino exstructum vidit) *præposita ancillarum Dei vixit: sed nec patrui sui filias, quæ pariter Deo seruiebant; quas tamen personas Concilia in exceptis posuerunt.* Numquam quoque ad feminas, rogatus, sine testibus clericis intrabat, vel solus cum solis vmquam est locutus, etsi secretorum aliquid interesset: asserens numquam feminas, cum seruis Dei etiam castissimis, quamquã prætextu amoris spiritualis, multùm conuersari debere: *Nam amor*, aiebat, *spiritualis generat affectuosum, affectuosus obsequiosum, obsequiosus familiarem, familiaris sæpè generat*

Possid. c. 26

Etiam sororis consortium deuitat.

Numquam solus cũ solâ locutus.

nerat carnalem,& ita fit illud,quod à sancto
Gal. 3. Paulo tam validè reprehenditur,*vt cùm spiritu quis cœperit, carne consummet*.Euitabat igitur omnẽ feminarum congressum quantum poterat; existimans haud esse tutum, intra vrbis portas hostem admittere: sed & omnem occasionem lædendi proximum, & castitatis minimas labeculas quàm longissimè Ecclesiasticum fugere debere.

Capvt LIV.

In ædibus omnem luxum,& nouam fabricam auersatur Augustinus.

Egregias in terrâ ædes auersatur, ad cælestes aspirans.

Ædes quidem, secundùm Apostolicam viuendi rationem, minimè superbas incoluit, luxum in eis omnemque nouitatem auersatus: credo ne vilibus huiuscemodi remoris, altiorum studio rerum animus abstraheretur, qui totus ad æternæ beatitudinis habitaculum adspirabat. Eiusdem ædes,vt Episcopum decet,officiorũ ac hospitalitatis ergô cuiuis homini patebant. In eis habebant sibi pauperes largitorem, tutorem pupilli, viduæ protectorem, ægroti ac mœrentes remedium; in quos omnes singularis eius beneuolentia liberalitasque enituit. In summâ, totis viribus eò nitebatur, vt cum diuo Paulo ab errore pariter resi-

resiliens, vas fieret electionis, ornatum omni lapide pretioso, quò inter cælestis Regis cimelia demum locaretur.

CAPVT LV.

Grauitas D. Augustini religiosa, morumq; decentia.

Ex hoc virtutum omnium concentu, relucebat in eius vultu totoque corporis habitu, perinsignis quidam decor ac morum grauitas cum amore coniuncta, eademque mortalibus omnibus ad imitandum maximè idonea. Quemadmodum enim ex bono hominis temperamento, & aptâ colorum proportione, mox aperit se in humanâ facie quædam venustas, quæ maxime nata est hominum intuentium ad se pellicere voluntates; sic ex concinnâ facultatum animi temperie, prodit in omni vsu atque congressu suauis quædam modestia, quæ sui spectatores plurimùm ad se æmulandum inuitare solet. Hęc eadem est, quam D. Apostolus Paulus nobis egregiè commendat, quamque vel maxime cunctis hominibus vult innotescere. Hanc ipsam decentis modestiæ virtutem in omni vitâ sic expressit D. Augustinus, vt non hominem, sed Angelum, veræque perfectionis absolutum exemplar videre putares: quâ demum

Exterior hominis modestia, interioris animi index.

Coloss. 3.

demum virtute, quantopere ciuium suorum in se prouocarit affectum, facilè cuiuis existimare licet. Eamdem vt sui æmularentur in legibus monasticis per hæc verba mandat: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis quò itis, simul state. In incessu, statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatē.* Ac huiusce quidem præcepti ratio manifesta est: nam ex compositione hominis externâ, mentis plerumque affectionem coniicimus: non aliter quàm ex horarum indice, ac æris campani sono, bonam totius horologij concinnationem intelligimus.

Cap. 18. & 19. suæ Regulæ.

Pulcra similitudo.

CAPVT LVI.

Episcopatus grauissimum onus in Eradium reclinat, vt scripta recognoscat, séque ad exitum paret.

CVM autem negotiorum ingenti & assiduâ mole, tum etiam multo studio, & per asperis in domando corpore exercitiis, ætate iam inclinatâ sibi deesset; animarum zelo incensus (quod vtinam ij faciant quorum in hoc par est ratio) adlegit Eradium Presbyterum in Episcopali functione sibi

Ser. 49. De diuersis. Aetat. Christi an. 426.

ſibi adiutorem ac ſocium,eumdemque applauſu Cleri populique ſucceſſorem: *Obſecro*, ait, *vos & obſtringo per Chriſtum, vt huic Presbytero Eradio, quem hodie in nomine Chriſti deſigno ſucceſſorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.* Cumque à populo fuiſſet acclamatum, ſuorum beneuolentiæ pro tali beneficio gratias egit,paratus interim, ſicubi foret opus, Adiutori conſilium auxiliumq; præſtare. Firmiter enim hoc animo deſtinarat, ſibi deinceps intentiùs viuere, quemadmodum ſtudiosè reliquis vixerat, atque etiam libros à ſe conſcriptos quaſi ſub incudem reuocare, & accuratiùs recognoſcere volebat: quâ de re eleganter, *Nemo*, ait, *inuideat otio meo, quod magnum habet negotium.* Ceterùm hoc exemplo ſeu facultate legendi ſucceſſorem, benè ſunt vſi complures Epiſcopi, religioſiſſimos quoſque ad Epiſcopale munus eligentes. Verùm cùm pòſt affectu parum ſano, non pro meritis, eligerentur propinquitate iuncti ſucceſſores, ab Eccleſiâ per ſacros Canones hic abuſus eſt ſublatus. Itaque vir ſanctus, tam deſideratum otium nactus, totum ſe dedit ſtudio pietatis, velut ad mortem diligentiùs ſe præparans: atque inter hæc ſcripſit librum De hæreſibus ad Quodvultdeum.

Epiſt. 110.

D. Auguſtinus ſeniorem, ſibi viuere admititur.

Extre-

Epist.7. Extremam quoque manum libris De Trinitate & Ciuitate Dei simul adhibuit; & quod diu fuerat præmeditatus, à se dictatos

Editos à se libros recensit. & editos recensuit libros, & quidquid in eis dignum censurâ visum est, aut minùs rectè dictum, id totum emendauit. Quamobrem duo conscripsit volumina, quorum est titulus, Libri Retractationum. Præreptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem à nonnullis fratribus

Possi.c.28. querebatur, licet eos postmodum emendarit. Huic operi dum insistit, abripitur factione quorumdam, qui in Galliâ Pelagio stu-

Prosper Epist ad Augustinũ. dentes, Catholico ibi nomine latebant, ea quæ S. Augustinus scripserat, De vocatione & pœnitentiâ electorum, deque gratiâ prçueniente, quam à voluntate hominum prçueniri iactitabant, & aliàs his cognata, suggillantes. Ad quæ enucleanda & aduersariorum obiectiones confutandas auocatus, in altum pelagus ingenij vela pandit, inspiranteque diuino Spiritu, duos excellentissi-

Scribit libros De prædest. sanct. & De bono perseu. mos ad eosdem conscripsit libros, alterum De prædestinatione sanctorum, alterum verò De bono perseuerantiæ. Ad cuius coronidem hanc obtestationem adiũgit: *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant gratias Deo. Qui autem non intelligunt, orent vt eorum ille sit Doctor interior, à cuius facie est scientia*

tia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne fortaßis ipsi errent. Ego autem cùm per eos qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco, & hoc per Ecclesiæ Doctores magis exspecto, si & in ipsorum manus veniunt, dignenturq́; nosse quæ scribo. Dignum planè S. Augustini modestiâ, animiq́; eius admirabili cum submissione verecundiâ dictum: vt planè vel ex his constet afflatum ipsum diuino Spiritu scripsisse, qui non quiescit nisi super humilem, quietum, & trementem Dei verbum. Quis huiusmodi aliquid reperiat in hæretico? Isaiæ 46.

CAPVT LVII.

Monet Bonifacium D. Augustinus, vt Barbaros ab incursione in Africam prohibeat, sed frustrà: quare tota regio à Vandalis inuasa fuit.

INTELLEXERAT Africæ Comitem Bonifacium ob Imperatoris offensam ad Vandalos in Hispaniam profugisse, eosque magno Ecclesię & Imperij detrimento in Africam armare: itaque literis ab incœpto eum reuocare nisus est, vt æternam animæ salutem, imperio temporaneo, ceterisq́; mundi crea- Paulus Diac. hist. Miscel. l. 14 Nota.

NOTATE *omnes politici.* creaturis præponeret, seriò monens. Reuocauit illi in mentem hac de caussâ propositum continentiæ, fugam sæculi, vitamque monasticam, commemorans illi, & multiplices excusationes eius refutans, cladesque ingerens. Est autem hoc ad eumdem dilemma: *Aut bona recepisti ab Imperio Romano, & noli reddere mala pro bonis; aut mala recepisti, & noli reddere mala pro malis.* Verùm is à pristinâ pietate morumque probitate, in quâ se hactenus S. Augustini instructione continuerat, desciscens, nihilque omnino monitiones hasce moratus, animo irâ percito, quod cœperat, est persecutus. Quæ sanè res toti Africanæ Ecclesiæ exitium attulit: nam ex Hispaniâ Vandali

Victor De persec. Vandal. lib.1. octoginta millia numero, vastationibus, direptionibus, incendiis, cædibus omnia loca compleuêre: & duce Bonifacio Africam ingressi, sacra pariter & profana sunt depopulati: postremò, quod est omnium

Acerbissima Africa clades. acerbissimum, in Catholicæ fidei locum, Arianam hæresim inuexêre: quã aliquamdiu retentam (de nostris Caluinianis ominari simile possumus) incolæ demum in Mahumetismum commutarunt, pulsis in exiliũ auitæ Religionis Episcopis, Clericis, & Monachis. Quorum omnium Dux beatus noster Fulgentius Eremita Augustinianus,

nus, & velut alter Augustinus rediuiuus, *flentibus laicis omnibus, ad locum beati certaminis* in Sardiniam præiuit: *paratus fidem Catholicam mente liberâ, voce forti,* necnon sanguinis profusione *coram Regibus & Principibus profiteri.* Cuius morte, tamquam fulgentis sideris ad occasum lapsi, vniuersa Africæ prouincia, tetrâ paulatim noctis caligine fuit obducta. Cur autem tradita sit vnâ simul duplici clade vastanda prouincia, quantum fas est homini, ex caussis occulta Dei perscrutari iudicia, vitiorum ingens multitudo, & nefandę voluptatis præsertim; atque etiam Donatistarum, Manichæorum, Arianorumque perfidia, cum Paganicæ impietatis reliquiis; videntur effecisse, vt benè Saluianus Episcopus Massiliensis, & ipsemet Augustinus satis indicat; suos reprehendens, quòd tantis cladibus oppressi, tamen ad meliorem frugem redire tergiuersarentur.

Gesta sancti Fulgētij apud L. Surium 1. die Ianuarij.

Lib. 7. De vero iudicio.

Serm. De Tēp. Barb. & lib. 1. De peccat. merit. & remissione, cap. 22.

CAPVT LVIII.

S. Augustini cura pro iis qui Hipponem confugerant. Liber scriptus ab eo De fugâ Pastorum tempore persecutionis.

INTERIM Romæ qui erant Bonifacij amici, dum facinoris eius grauitatem considerant, simul Aëtij Ducis militum in-

Procop. De bello Vand. lib. 1.

ſidias detegunt, atque Placidiæ renuntiant. Quæ poſtquam intellexit Bonifacium alienâ culpâ erraſſe, veniam ab Imperatore offert, ſi modò à furore deſiſtat. Ille mox facti pœnitudine ductus, ac initam cum Vandalis ſocietatem deteſtans, illos magnâ vi pecuniæ fruſtrà tentatos, vt loco decederent, bello aggreditur: at victus, Hipponem Regium, ciuitatem Numidiæ maritimam ac inuictiſſimam ſe recipit: quod & fecit Afrorum haud exiguus numerus, qui bonis exuti, ad munitiora loca confugiebant; quos ſuis Hipponẽſibus commendans ſanctus Auguſtinus pro concione, *Abundant,* inquit, *peregrini, captiui, & ſpoliati. Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis.*

Serm. De Tẽp. Barb

Hac tempeſtate quidam quoque Epiſcopi & Paſtores animarum ob perſecutionis acerbitatem fugere coacti, D. Auguſtinum conſulunt, num eis fugere; & quemadmodum liceat? an potius vnà cum ceteris, Vandalorum catenas & crudeles aduerſariorum impetus exſpectare oporteat? Quibus id fusè reſpondet, quod poſtmodum vniuerſa hac de re Theologorum ſchola tenuit, videlicet, *Nec eos eſſe prohibendos qui ad loca (ſi poſſunt) munita migrare deſiderant, & miniſterij vincula, quibus Paſtores Chriſti caritas alligauit ne deſerant Eccleſias,*

An perſecutionis tempore Paſtoribus fugere licitum?

Epiſt. 180. ad Honoratum.

clesias, non esse rumpenda. Quis enim credat Dominum velle, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparauit?

CAPVT LIX.

S. Augustinus in Africæ depopulatione spiritualia damna magis quàm temporalia expendit.

HANC ferocissimam hostium grassationem altius ceteris hominibus expendéti, & in his animarum præcipue pericula vel mortes præuidenti, solito amplius fuerunt lacrymæ eius panes die ac nocte, & dolor hic nimis eius animi medullis infixus, velut tinea sanctum virum exedebat; amarissimamq́ue præ reliquo vitæ tempore senectutem eius efficiebat. Videbat enim ciuitates excidio perditas, rurique habitantes alios crudeliter extinctos, alios profligatos, Ecclesias Sacerdotibus destitutas, virginesq́; sacras miserabiliter quaquauersum dispersas. Et in his alios defecisse tormentis, alios gladio transuerberatos esse, alios in captiuitate detineri; non paucos etiam perditâ tum animi tum corporis integritate, fœdum in modum hostibus deseruire. Cernebat etiam Hymnos & laudes diuinas in Ecclesiis haud ampliùs fre-

Posſi.c.28. Vitæ.

Miserrima Ecclesiæ Africanæ facies.

quentari, templa Deo Diuisq; sacra quamplurimis in locis igne conflagrasse, sed & sollemnia quæ Deo sunt debita suis in locis defecisse, Sacrificia & Sacramenta vel non quæri, vel quærenti qui impertiat, haud facilè inueniri. Ad hæc in montes, siluas, cauernas petrarum, & speluncas confugientes, alios fuisse expugnatos, alios necessario commeatu fuisse destitutos, vt fame contabescerent; ipsosq; Ecclesiarum Præpositos, & Clericos, qui fortè Dei beneficio vel in eos non incurrerant, vel incurrentes euaserant, rebus omnibus exspoliatos mendicare, nec eis ab omnibus ad omnia quibus fulciendi essent, subueniri posse. Hæc aliaque id genus mala animum eius graui mœrore conficiebant, nec aliud fere quid ageret occurrebat, quàm tremenda Dei iudicia expendere & approbare, dicendo:

Psal. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Supra modum autem male eum habebat, quòd postquam ibi quadraginta circiter annis sanctum Dei verbum prædicasset, & hæreses iam quasi funditus exstirpasset, iis iterùm illa regio subiicienda foret. Quamobrem laboriosissimum erat ei viuere, desideranti posse dissolui, & esse cum Christo, ne hanc Catholicæ Religionis exterminationem videre cogeretur. Inter hæc animo

Summus D. Augustini dolor.

animo forti & heroico ſubditos conſolabatur, & hoc dictum ingeminabat cuiuſpiam viri ſapientis, Non eſſe rem magnam ſi caderent petræ & ligna, & homines moriantur, modò in Dei timore & gratiæ ſtatu perſiſtentes, patienter hæc accepta diuinitus flagella tolerarent.

CAPVT LX.

D. Auguſtinus obſidionis tempore, frequèns populum adhortatur.

Hoc fine per hoſce furores Vandalicos coram Hipponenſi populo conciones habuit frequentes, quibus eum ad priorum ſcelerum deteſtationem, pietatem ac tolerantiam in finem vſque ſeruandam, eſt alacriter cohortatus. Erant illæ quidem perbreues, ſed dolore & lacrymis plenæ: quarum vnâ velut cygneâ voce, pulcrè diuerſam hominum bonorum & malorum in aduerſitate ſortem duobus vaſis comparat, quorum vnum continet putredinem, alterum aromata pretioſa; id ſi vento agitetur, fœtorem intolerabilem, hoc verò odorem ſuauiſſimum reddet: *Ita ſimul boni & mali indiſcretè quidem turbati, ſed alto Dei iudicio ſunt ſeparati: qui enim boni, dum aliqua tribulatio ſuperuenerit velut vaſa ſancta, gratias agunt Deo, qui eos caſtigare digna-*

Pulcerrima diuerſa hominum in aduerſitate ſortis cōparatio.

Serm. III. De Temp.

dignatur; mali verò obmurmurant, dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, vt talia patiamur? Vnde fit vt infelices isti, amore huius vitæ obligati, nec istam tenere possint; & illam sempiternam, de quâ fugiet dolor & gemitus, amittant. Et quod peius est, nec illa mala præsentia possunt euadere, & ad ea quæ æterna mala sunt, eorum crimina eos faciunt peruenire, &c. *O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur; puta, si dulcis esset, qualiter amaretur?*

Mundus etiam amarus amatur

CAPVT LXI.

D. Augustinus morbo tristitiaq; lecto decumbit, ægrumq; ope diuinâ sanat.

DVM in hasce pias functiones omnibus viribus incumberet, tempus adfuit quo fidelissimus hic in vineâ Domini operarius condignam laboribus reciperet mercedem. Itaque omnibus Africæ ciuitatibus barbarico Vandalorum furori, præter Carthaginem, Cirtham, & Hipponem concedentibus; cùm Bonifacius Comes Hipponem confugiens, ad eius obsidionem Vandalos prouocasset, & hanc vrbem tertium iam mensem obsidione pressam, in maximas illi redigerent angustias; eoque maiores, quò plures Catholici de captis ciuitatibus,

Tertio obsidionis mense S. Augustinus morbo corripitur.

bus, & ipsi bonis exuti, ad eam confluxerant; sanctissimus Præsul, qui diuini verbi prædicatione, curâ pauperum, ieiuniis, vigiliis, ac precibus pro commisso sibi grege strenue decertarat; ecce ad vitæ exitum vocatur, non tam morbo, quàm tristitiæ magnitudine confectus. Nam in hisce bellorum tempestatibus, longè altiùs impendentia mala animo suo præmeditatus, cum animarum videret instare pericula, Deum obnixè est precatus, vt aut se tot imminentibus malis tempestiuè eriperet, aut ciuitatem obsidione liberaret, aut denique fideles quotquot ibi erant, ad sufferenda extrema quæque fortes redderet. Cuius voto priusquam Deus annueret, misit ad eum vltimâ hac ægritudine (nam frequentibus erat corporis infirmitatibus obnoxius) alium quempiam ægrum, qui sanitatis obtinendæ caussâ eum deprecans, aiebat se in somno commonitum, vt ad Augustinum pergens, sibi ab eo manum imponi peteret, cum certæ promissione salutis, vt & euentus probauit: nam ille statim conualuit, pio manuum eius attactu; sicut & aliquot energumeni per eumdem dæmonibus fuere liberati, oratione cum lacrymis fusâ, & benignâ in primis Dei ope: qui hisce aliisque compluribus miraculis, quasi sigillis

Votū D. Patris Augustini, tempore obsidionis.

Possid. c. 29

Miraculū.

Patet epistolâ 138. & 149.

Possid. supra.

Miraculo res gesta & scripta S. P. Augustini cõprobata.

quibuſdam, tum res ſanctè ab eo geſtas, tum pia doctaque ſcriptorum eius monumenta conſignata reliquit.

CAPVT LXII.

D. Augustinus ad cælestem vitam piè ſe comparat, & Pſalmos Pœnitentiales cum lacrymis recitat.

IGITVR ingraueſcente morbo, quo ſupremum actum vitæ quàm ſanctiſſimè perageret, communibus Eccleſiæ Romanę Sacramentis, ad mortem fortiter ſancteque oppetendam, ſeſe comparauit. Decem porrò diebus quàm ex hac vitâ migraret, ne aſſidua eius de rebus cæleſtibus cogitatio à quopiam præpediretur, omne à ſe remouit amicorum colloquium; ita vt nullus adire eum poſſet, niſi cùm eum Medici inuiſerent, vel ciborum aliquid inferretur. Reliquum temporis orationi ac rerum cæleſtium contemplationi dabat. Solitus autem erat dicere, neminem ſine congruo noxarum dolore oportere vitâ decedere. Quapropter in aduersâ parte lectuli, contra peccatorum horrorem, qui moribundos frequenter excipere ſolet, maioribus characteribus exaratos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales appendi iuſſerat, quos ſæpe ſæpius magnâ vi lacrymarum perlegebat; ad

Totus Deo & cæleſtibus intentus.

NOTA.

ad illam requiem penitus aſpirans, quò tanto iam tempore, omnes ſuos conatus, labores, & ſtudia omnia præmiſerat. Verba eius ſunt: *Tædet me Domine valdè vitæ huius, & istius ærumnoſæ peregrinationis. Vita hæc, vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena miſeriis & erroribus: quæ non eſt vita dicenda, ſed mors, in quâ momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diuerſis generibus mortium.* Medit.c.21 *Vtinam conceſſâ mihi peccatorum veniâ, moxq́; hac carnis ſarcinâ depoſitâ, in tua gaudia, cæleſtis Ieruſalem, veram requiem habiturus, intrem, & tuæ ciuitatis ſpecioſa mœnia, coronam vitæ de manu Domini accepturus, ingrediar. Vt illis ſanctiſſimis choris intereſſe, cum beatiſſimis Spiritibus gloriæ Conditoris aſſistere, & ſupremâ beatitudine perfrui valerem*, &c. Ibid. 22. Hæc erat vna decedentis cogitatio; ad illam vitam cæleſtem, verè vitam totus anhelabat; in illâ iam tum Dei velut ſuauiſſimos congreſſus & amplexus, aſſidue animo præcipiebat.

CAPVT LXIII.

Ad Concilium Ephesinum honorificâ epistolâ ab Imperatore inuitatur.

DVM itaque in Africâ ad meliorem vitam adspirat D. Augustinus, ecce rursus in Græciâ turbas ciet Pelagius: quibus omnimodè tollendis, indicitur Concilium Generale Ephesinum: ad quod Cælestini Romani Pontificis intercessione, Theodosius Imperator non Orientales tantùm, verùm etiam Occidẽtales Episcopos, quotquot erant insigniore doctrinâ præditi, datis ad Concilium literis, euocari curauit, atque inter ceteros D. Augustinum, vti Synodo præsens adesset, per Ebagnium Magistrianum accersiri iussit hac epistolâ, quam Paduæ in æde S. Iustinæ, loco principe congregationis Benedictinorum, repertam, & Latinè redditam, hîc adiecimus. Est autem hæc inscriptio:

Liberat. in Breuiar. cap. 5. t. 2. Conciliorum.

VENERABILI DOMINO AVGVSTINO EPISCOPO HIPPONENSI, THEODOSIVS IMPERATOR.

Sententia epistolæ Theodos. ad Augustinũ.

LIBRORVM *à te conditorum præstantia & industria, quâ singulariter polles in enucleatione Sacrarum literarum, fructus etiam quos in omnem Ecclesiam protulisti; caussa fuêre, vt vbiuis gentium illustrem gloriam sis*

sis adeptus. Gratiæ Deo, qui hac tempestate periculosissimâ, respiciens ex alto procellas quibus conflictamur, te largitus est Ecclesiæ suæ tantum defensorem. Ego quantum me attinet, illam protegere totis viribus & quâ debeo animi modestiâ, conabor. Quia si quæ meo Imperio ventura sit felicitas, si qua accessio, siue quæ præstanda securitas; id totum facilè consequar, si IESV CHRISTO *qui à me debetur honos tribuatur, eiusq; fidei Orthodoxæ; à quo vera salus & vita prouenit, & quidquid aliud boni possidemus. Consilium istud dedit Cõstantinus sanctus, atq; idipsum edocuit auus meus Theodosius: quod ego quoad potero sequi studebo, maximè qui sciam, eiusce gloriam, non imperij magnitudinem, sed Religionis spectatam fuisse: quam quidem cum Ecclesiâ Catholicâ eiusq; ministris, altissimè pectori infixam habebat. Non te latet ingens malum, quod nouam hanc Romam excepit, nec ignoras, quàm sese latè propagauerit teterrima hæreseon lues per vniuersam Græciam. Nestorius enim Episcopus, cùm pietatem omnem & sanctimoniam priùs simulasset, ad extremum malitiam versipellis ingenij sui detexit; cumq; Patris esset titulo insignitus, nobis inimicum se præbuit, factus ex pastore fur & latro; dum seminauit in vulgus nefandam hæresim, in vituperium Redemptoris*

Constantinopolim intelligit.

nostri

Antiquissimus B. Virginis cultus *nostri* IESV CHRISTI, *eiúsque sanctißima Matris, quam omni tempore vnà cum Filio eius benedicto summâ veneratione prosequimur, iuxta sanctorum Patrum decreta. Itaque Pelagius hæreticus, tametsi damnatus est erroris per sacrosancta Concilia, nec non eruditißimis scriptis tuis, quibus eum planè confecisti; nihilominùs efferre caput nititur, & ipsi Deo repugnare. Enimuerò tam atrocia hæc mala quæ patimur, fateor peccatis nostris deberi, & præsertim huius Pharaonis obstinatæ voluntati. Atqui cùm benignißimus Deus ad has auertendum calamitates suggerat opportunè rationes; propositum nobis est opem ferre sanctißimo Domino nostro Cælestino,* *Papa Episcopus vniuersalis.* *Episcopo vniuersali totius Ecclesiæ; nimirum vt secundùm receptam à maioribus consuetudinem, Concilium Generale celebretur. Proin vt hoc votum nostrum Catholicum planè intelligat, liberum facimus, vt ex omnibus, quotquot nostro parent Imperio, ciuitatem aliquam seligat, quæ in hunc finem ei commodißima videbitur; qui est, vt vnanimi Patrum ac Episcoporum conuentu id statuat,* NOTA. *quod nos, quorum est parêre, indubitatâ fide, sequi debemus. Ad illum, tamquam Principem omnium quæ fiunt, quæq; decernuntur in Ecclesiâ, spectat prouidere, vt ne quid Orthodoxis incommodet. Ego vicißim tamquam filius*

Ecclesiæ Catholicæ & ipsius Pontificis Romani, sum paratus quouis tempore ei inseruire & obsequi, quibuscumque in rebus ope meâ possim Ecclesiæ commodare. Nunc igitur te, qui rebus in omnibus lumen es orbis Christiani, quiq; idem terror es & hostis omnium sectariorum, qui sub oculis tuis comparere verentur, te, inquam, rogamus quàm possumus studiosissimè, vt Ephesi te sistas, quâ in vrbe locus est Concilio quod habebitur, designatus. Ita nimirum dicere poteris te omne vitæ tempus quod reliquum est, sicut & elapsum, in gloriam & honorem Domini nostri IESV CHRISTI *liberaliter expendisse; cui debemus vitam, salutem, & quidquid aliud ab eo habemus, non velut proprium aut iuris nostri, sed tamquam ab eo mutuatum & acceptum. Non te absterreat mare, non longitudo itineris, non res quæcumque: totum enim id oportet ferre constanter in hoc pio molimine, cuius finis quia est optimus, ad se nos inuitat. Si tibi est animo decretum venire, (quod Ecclesiæ bono facere teneris) plura rescies ex nostro Ebagnio Magistriano, qui mihi à cubiculis est. Commendamus Imperij nostri cuncta negotia vestris orationibus; merita enim tua gratiaq; apud Deũ perspecta nobis sunt, & quantũ polles apud sanctissimã Trinitatẽ. Datæ in nostro palatio nouæ Romæ, Basso & Antiocho Coss.*

Imperator Rom. Pont. filius.

Landes sancti Augustini.

CA-

CAPVT LXIV.

D. Augustinus vitâ decedit. Luctus communis super morte eius.

Liberatus suprà.

PERVENIT hic Ebagnius cum eiusmodi literis Carthaginem, ad Episcopum Africæ Primatem Capreolum; ad quem etiam Imperator literas dederat, vt Augustino proficiscendi copiam faceret, atque vltrò eum inuitaret. Capreolus literis hisce lectis, suspirans Imperatoris Legato respondit, hanc validam Ecclesiæ columnam, videlicet Augustinum Episcopum, ad meliorem vitam esse translatum. Quo audito, non potuit ille sibi à lacrymis temperare, quòd emensis tot viarum spatiis, adspectu viri tam excellentis frui nequiisset; cuius tanto videndi desiderio tenebatur, cuiusque Antistitis ingentes laudes per vniuersum terrarum orbem diffundebantur. Itaque de Augustini morte literas accipiens à Primate Capreolo, rediit Constantinopolim. Quas literas Theodosius non sine magno animi dolore cum suis communicauit, iacturam tanti viri quam Ecclesia fecerat morte eius, deplorans. Addit his Liberatus, quòd per id tempus nulli ferè circumferrentur sermones per orbem, quàm de sapientiâ, & zelo, & amore D. Augustini, qui,

qui vt refert de eodem Possidius, *integræ fidei, spei, & caritatis in Deum eiusq; Ecclesiam*, pro iis tantopere laborauit. Nam instar strenui Imperatoris, quem stantem & operi intentum mori decet, vsque ad extremam ægritudinem, Dei verbum prædicans, Iuliani libris, inter impetus obsidentium Vandalorum, in ipso vitæ extremo respondens, atq; in hostes gratiæ Christi fortissima argumentorum spicula torquens, sanctissime decessit; nam vt frequens aiebat, *Non potest malè mori, qui benè vixerit.* Ergo iam a febri penitus oppressus, interruptis ac morientibus vocibus suos collegas ad vitæ sanctimoniam cohortans, & Christum Seruatorem inuocans, tum etiam opem intemeratæ Virginis, D. Stephani, & aliorum, quorum solebat patrocinio se commendare, de corporis ergastulo animam solui desiderauit. Huius est voti compos effectus, anno Christi cccc. xxx. vel vt alij, & in eis R. Bellarm. in Catal. vir. illustr. an. cccc. xxxiii. ætatis lxxvi. Episcopatus xxxvi. v. Kal. Sept. Id temporis, vt canitur de eodem, *Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu, astantibus* fratribus *ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace.* Eiusce mortē hoc modo deplorat Victor Vticensis, Ita flumen eloquen-

Possid. c. 31 Vitę D. Augustini.

De discipl. Christ. c. 2.

Mors D. Patris Augustini.

Possid. suprà.

Lib. 1. Persec. Vād. L.

tiæ ſubſtitit, quod per omnes campos Eccleſiæ ferebatur: ita dulcedo in amaritudinem eſt conuerſa: ita receſſit Sacerdotum gloria, Doctorum magiſter, pauperum refugium, viduarum aduocatus, orphanorum tutor, lux mundi: ita conticuit magnus ille verbi diuini præco: ſic occubuit ſtrenuus propugnator, qui gladio doctrinæ atque prædicationis, centicipitem hereſeon beſtiam trucidauit: ita mortuus eſt inſignis ille architectus, qui Dei domum ſuffulſit, bonorum operum exemplis inſtruxit, & intus ſuæ eruditionis artificio elaborauit: ita magnus ille doctrinæ Sol occidit, ille fluuius pietatis exaruit, vnicus ſapientiæ phœnix, amoris igne ſacro exuſtus: ita gemma Doctorum in cælum eſt tranſlata.

Capvt lxv.

Humatio D. Auguſtini: teſtamentum eius: copioſiſſimi libri: & varij cœtus Clericorum, Monachorum, ac ſanctarum Virginum.

Poſſid. cap. vlt.

Post hæc vberrimis ſuorum lacrymis, ingenti totius vrbis & orbis luctu, tum præſertim oblatione incruentæ Hoſtiæ de more pro eodem factâ, terræ redditus eſt, in templo ſancti Stephani, quod ipſe receptis

ceptis ex Ierosolymâ eiusdem Martyris reliquiis honorificentissimè exornarat. Testamento verò nihil auri, argentive, vel alterius rei caducæ reliquit, *quia*, vt benè Possidius, *vnde faceret pauper Christi non habuit*; omnia namque iam pridem dum valeret, in pios vsus expenderat. Eiusce tamen loco suis legauit à se conditorum librorum thesaurum incomparabilem, animarum saluti perutilem, ac Ecclesiæ Dei prorsus necessarium. Hinc Ferdinandus ab Hispaniâ, *Diuus*, inquit, *Augustinus velut alter Noë, non quidem arcam, sed libros componendo, mundum vniuersum periclitantem ab hæreticis liberauit*. Eorumdem lectione librorum D. Fulgentius asserit sese de mundi periculosis fluctibus in religiosæ quietis portum fuisse pertractum: quem complures hominum saniores & ipsi imitantes, monasteria repleuêre, spreto sæculo, in omni genere pietatis ibidem Deo famulantes. Nullum igitur, vt modò dictum est, fallacium diuitiarum thesaurum posteris reliquit: sed eam potiùs omni pretio dignam lucubrationum supellectilem Ecclesiæ legauit, quæ longè ampliùs eam locupletat, quàm quidquid rerum hic mundus obstupescit. Neque mirum id quidem videri potest; dicit enim Scriptura: *Melior est*

D. Augustinus testamentum pecuniariū non cōdidit.

Ser. 150. apud B. Iordanum.

Auctor Vitæ, c. 3. & 4.

D. Fulgentius & alij plures, lectione librorū S. Augustini fiūt monachi.

Prouerb. 3.

est sapientia cunctis opibus. & , vt hoc addam , si quod historiis proditum est , Alexander Magnus , inter Darij spolia sibi legit pyxidem illam celebratissimam , poëmatis Homeri conseruandis destinatam ; facilè sane potest æstimari quantis diuitiis Ecclesiam Augustinus auxerit, qui tot libros, tot ingenij monumenta , tot omnis sapientiæ promptuaria Catholicis legauit. Quare sapientissimus Deus , Augustini opera , tamquam vnicum bonum cuius Ecclesiæ plurimùm interesset, è mediis Barbarorum rapinis atque flammis , non citra miraculum, vt multi volunt , Angelicâ custodiâ defendit , tametsi Vandali hostes Ariani essent, scirentq; eum cùm alias hæreses , tum præsertim impietatem Arianam, vnà cum principe suo Maximino Episcopo confutasse . Voluit nimirum Deus, vt qui viuus omnes exortas hæreses refutarat, mortuus easdem recrudescentes, vel etiã nouiter emergentes deprimeret. Adiecit Ecclesiæ præter hoc & aliud testamenti loco , nempe virorum ac mulierum continentium plena monasteria, tum etiam Clerum insigniter frequentem ac numerosum tradidit. Quæ res sanè nimiopere est laudabilis : nihil enim rei Christianæ vtilius , quàm pios & idoneos operarios in vineam Dominicam vndique con-

Plutar. in Vitá Alexandri.

D. Augustini scripta in mediis Barborũ flammis diuinitus conseruata.

Ant. Posseuin.

Reliquit D. Augustinus Ecclesiæ copiosum Clerũ.

conquirere, & hac tam necessariâ supellectile, domum Dei abundanter instruere. Tales ferè sunt ij qui Seminaria plantant, Bursas instruunt, & ex religioso cœtu ij qui fidem Orthodoxam sedulò promouent: addo etiam qui eisdem Religiosis domos extruunt. Hi enim omnes quàm optimè de Ecclesiâ merentur, & præ reliquis mortalibus, instar huius eximij Antistitis, laudem præcipuam reportant. *Quomodo vtiliter facultates expendantur.*

CAPVT LXVI.

Calamitosissima Hipponis post D. Augustini mortem inuasio.

FVIT vrbis Hipponensis ab Augustini morte longè miserrima facies: Vandalis namque coronâ totam cingentibus, non aliud ciues manebat, quàm extremum excidium, quod denique secutum est ingenti hominum strage, Ecclesiarum clade, & diuini Numinis contumeliâ. Hostes enim continuos in ciuitatem assultus facientes, ciuibus quamquam fortiter, frustrà tamen obnitentibus, illam inuasère decimoquarto mense, quàm obsessa fuit; iidemque non sexui, non ætati pepercerunt vlli, barbarâ immanitate quoslibet trucidantes. Antistites Episcopique Ecclesiarum quotquot *Vandalorũ in Hipponenses furor.*

ibi ſimul inuenti ſunt, non habitâ ratione dignitatis, aut annorum, fœdum in modum carceribus mancipati. Eoſdem barbari, tamquam veri hoſtes nominis Chriſtiani & Catholicæ Religionis, omnibus ornamentis Pontificalibus ſpoliarunt, & vt ſecum reputare quiuis poteſt, indignè admodum vexauêre.

Bonifacius Comes, in defenſione ciuitatis ſtrenuè pugnans, occiditur; nobiliſſimi milites turpiter in ſeruitutem rediguntur, matronæ fœdè habitæ, virgines ingenuæ ſtupratæ, puſiones efferâ crudelitate rapti ab vberibus eiulantium matrum: in vicos & plateas eiecta cadauera ſepulturâ carebant;

Luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago.

In ſummâ, non erat genus crudelitatis, quod in afflictam ciuitatem, (quò innumeri homines confluxerant, quòd eſſet maritima & fortiſſima) impij Vandali non exercerent. Monaſteria vtriuſque ſexus, quæ ibi numeroſa erant ob eruditionem & ſanctitatem D. Auguſtini, vaſtabantur, ſacra vaſa polluebantur & humi iaciebantur, ſacroſancta ridebantur; erantque ſic æquata ſolo hæc omnia, vix vt priſtinæ dignitatis veſtigium appareret. Verùm in tot ſceleri-

Sacra profanis permiſcent.

leribus est res vna digna miratione; quòd, cùm hæretici nostri temporis, ac præsertim Caluiniani, Diuorum reliquias canibus obiiciant, aquisque demergant; nihil horum Ariani isti, quantumuis efferi ac impij, commisisse legantur in corpus S. Augustini: quod intactum & immune ab omni militum petulantiâ, demum in Sardiniam, ac inde in Italiam est translatum. *Caluinistæ Vandalos impietate vincunt.*

CAPVT LXVII.

Prima sacri corporis D. Augustini translatio in Sardiniam.

IN eadem crudelitate alij atq; alij perstiterunt, vsque ad Trasamundum, qui, teste Chrysorario, gaudebat ac exultabat fuso cruore Episcoporũ & Sacerdotum. Eiusdem erant omnes deliciæ, ceu modò Caluinianorum, extirpare Catholicam Religionem; imò eò processit crudelitatis, vt Patricios homines ac Episcopos ducentos vigintiquinque in Sardiniam exules relegarit. Qui cùm fugam maturarent, curante in primis D. Fulgentio Ruspensi Episcopo, Ordinis S. Augustini, sanctissimi Parentis sui corpus, adiunctis compluribus aliorum Sanctorum reliquiis, quæ indies adhuc ibi reperiuntur, vnà deportare secum proposuêre. In Append. Chronic. Eutropij. Sigebert. & Marian. Scot. in Chron.

 suêre.

ſuère. Itaque cùm inſtaret Imperator barbarus, Epiſcopi aliique Numidiæ Sacerdotes, intempeſtæ noctis ſilentio, quantum occultè licuit, ſacrum rapientes theſaurum, auguſtas nempe reliquias magni illius Auguſtini, cumq; iis aſſumentes inſignia Epiſcopalia, mitram & pedum paſtorale, Deo ſemet commendarunt, ac nauim conſcendentes in Sardiniam tranſtulerunt, anno quàm ſepultus fuerat XXIV. Ibi ſanctiſſimi Patris exuuias magno cum gaudio ac honore Sardi exceperunt in ciuitatem Calaritanorum, inque Eccleſiâ totius vrbis primariâ depoſuere, rati ſe tanto pignore valdè beatos, ac tali in cælis patrono Dei opem facilius experturos. Poſt hæc ædificatum eſt diuo Auguſtino à Sardis templum ſplendidum ac ſumptuoſum, & in eo perilluſtre monumentum, præſertim rogantibus id vnanimi voto Eremitis Auguſtinianis, quibus & monaſterium templo vicinum excitarunt incolæ, vt in eo cùm Deo, tum Ordinis ſui auctori famularentur. in quo monaſterio, etiamnum citra interruptionem, vt aſſerunt, perſeuerant.

D. Auguſtini corpus in Sardiniâ miraculis claret.

Nobilitata prorſus tum fuit inſula tanti Doctoris reliquiis & miraculis, quæ frequentia fuère ibidem perpetrata. Vt è multis aliqua delibem, Eques fuit nobilis, idem-

idemq; literis excultus, qui parùm credulus S. Augustini corpus eo loci asseruari, nullis rationibus ad hoc sibi persuadendum induci potuit. Accidit verò peropportunè, cæcum quemdam adolescentem, qui huic viro nobili cognitus esset, singulari pietatis affectu semet prosternere coram sanctis hisce reliquiis, illas palpando, oculis admouendo, & exosculando: quod dum facit, ecce spectante omni populo, eodemque homine primario, repente pristino visui restituitur. Quo peruulgato miraculo, peccatum suum is qui fuerat incredulus, agnouit, & deinceps Augustini cultor religiosus extitit. In eadem insulà copiosis floruit miraculis per annos fere CCXXI. Quare, ait Oldradus, manifestum euadit, Deum sibi caros & acceptos illustrare miraculis, vt sanctitatem illorum prodat, ac hoc velut sigillo comprobet.

Antiquum Ordinis Eremitani Breuiariũ in 1. transl. S.P. Augustini.

Epist. ad Carolum Magnum.

CAPVT LXVIII.

Secunda eiusdem corporis D. Augustini honorifica translatio in vrbem Papiam.

ANNO circiter DCCXXV. cùm Barbarorum infinita multitudo in Sardiniam irrumpens, loca sacra pollueret, & in his D. Augustini sepulcrum, Luitprandus Rex Longobardorum, Religionis Catho-

Oldradus Epist. suprà dictâ ad Carolum Magnum.

licæ obſeruantiſſimus, à Petro Papienſi Epiſcopo id reſciens, Legatos ſuos, Proceres, nobiles, cum magno argenti & auri pondere tranſmiſit in Sardiniam, vt corpus tanti Præſulis ab infidelibus redimentes, ad ciuitatem Papienſem transferrent. Qui mandato Regis obſequentes, nauem appulerunt ad Sardiniam, & redimentes ſanctum corpus, quod ibi à paucis Eremitis tot inter hoſtium incurſus aſſeruabatur, nauique illud imponentes, Dei benignitate conſecuti valdè idoneam tempeſtatem, ſpatio quatuor & viginti horarum, detulerunt idipſum in portum Ianuenſem. Tum ſtatim præmiſère, qui Regi nuntiarent huiuſmodi aduentum ſuum, vtque ſimul ab eo impetrarent, qui debitâ pompâ ac ſupplicatione tam ſancti corporis reliquias exciperent. Hac de re certior effectus Rex, ac magnopere gauiſus, Deo gratias egit, quòd ex animi ſui ſententiâ cuncta cecidiſſent. Nec interpoſita mora, cõuocatis omnibus ſuarum ciuitatum Epiſcopis, cum vniuerſo Clero, magnâ Procerum multitudine, vſque ad agrum Dertonenſem, vt Dauid arcam decentiore loco poſiturus, ſacris reliquiis obuiàm proceſſit, maximâ animi humilitate. Proximus autem loco factus in quo ſanctum corpus depoſitum erat, regiis inſi-

Anno 725. Corpus diui Augustini ab Eremitis in Sardiniâ aſſeruabatur, qui etiamnum ibi domum habent.

2. Reg. 6. Summâ animi humilitate Rex ſancto Corpori obuiàm procedit.

insignibus exutus, nudo capite ac pedibus, tantâ pietate ac reuerétiâ processit, vti omnes stuperent, Deumque pro tantâ Regis demissione, ac miraculorum frequentiâ prædicarent. Igitur inter Diuorum laudes & hymnos, maturè deuenientes ad prædium Sauinariense, eodem loci & Rex ipse & vniuersus Episcoporum ac Procerum comitatus, iuxta SS. reliquias pernoctarũt.

Aurorâ diei sequentis illucescente, cùm Ticinum iter tenderent, ecce nullatenus sanctum corpus mouere valuerunt. Ergo cùm nequidquam ad feretrum deportandum frequentes accederent, Rex veste conscissâ turpatoque vultu in terram se prostrauit: destinauerat namque sanctas reliquias Papiam in vrbem suam deportare, quibus sumptuosum & perelegans monumentum extruxerat, quâ iam spe omnino frustrari videbatur. Omnibus id admirantibus, vnaq; cum Rege factum dolentibus, Gratianus Nouariensis Episcopus, vir magni iudicij, sanctitatis & doctrinæ, persuasit Regi vt hoc Sauinariense prædium, Ecclesiæ S. Petri in Cælo aureo, quod olim Benedictinorum fuit, nunc verò nostris accessit (ita dictum propter aëris salubritatem, splendorem ac opulentiam) & ad quod Cælum aureum transferre sacrum *Admiratione dignum.*

hunc

hunc thesaurum proposuerat, in Dei & sancti Augustini honorem voueret, quò sic posset optatum in locum deferri. Ad hæc suasit illum vestium apparatum exueret, & cilicio atque aspero sacco se vestiret: haud enim hæc ornamenta regia conuenire in deportatione tam sancti Antistitis, qui verus fuerat amator paupertatis. Obedit Rex prudens consilio, pratum Deo, Diuoque quem erat portaturus addicit, exuit se purpurâ regioque ornatu, assumit humile sagum, dein summâ totius hominis demissione beatissimo Episcopo supplicat imprudentiam hanc sibi remitti, vtque admittat quæ restabant, humilia & officiosa obsequia. Tentaturus igitur num precibus his locus esset, accedit ad feretrum, succollat, iamque reperit onus leuissimum; adeò vt quod ante ne à pluribus quidem moueri poterat, nunc à duobus citra laborem ferretur. Non absimile huic, quod euenisse scribunt Imperatori Heraclio, dum crucem Dominicam Ierosolymis inferre conaretur: non enim priùs id ab eo fieri potuit, quàm regium ornatum poneret. Forsitan id eâ de causâ euenerit, quòd D. Augustini corpus sanctæ Crucis imaginem quadamtenus in semetipso expresserit, dum prauos affectus eiusdem edomuit, necnon ieiu-

Voto facto, & regio ornatu seposito, citra laborem diui Augustini corpus fertur.

ieiuniis crebris, vigiliis ac laboribus pro Ecclesiâ Dei exantlatis eneruauit omnes malas animi cupiditates: vt de eo iure dici posset, vitam eius omnem fuisse perpetuam crucem, in quâ seipsum confixerit.

Peragebant igitur cœptum iter ingenti gaudio, collaudantes Dei omnipotentiam, qui vota Regis tam facile exaudisset. Ciues quoque simul ac aduentum Regis cum his sancti corporis reliquiis intellexerunt, obuiàm illis processêre, & suaui hymnorum concentu maximoque honore, pro tanti Antistitis merito, eas intulerunt in Ecclesiam diui Petri in Cælo aureo, nimirum prid. Kal. Martias, anno Christi DCC.XXV. Gregorio Secundo Pontifice. Quâ in re & illud est obseruandum, aptè in Apostolicâ fuisse depositum Ecclesiâ, qui pro Catholicâ decertans fide, sectariorum hostiumque D. Petri vesanos impetus repressit. Beda. Paul. Diac. Marianus Scotus. Sigebertus, &c.

Idem templum Rex Luitprandus donauit tot prædiis, vasis aureis & argenteis, tot denique ornamentis, vt opinione omnium maiora donaria hæc videri possint. Existimabat idem se custodibus sancti corporis dare haud posse, quod pro suâ incredibili pietate satis dignum appareret. Quin adeò pietas in hoc sacrum depositum Regem exciuerat, vt noctu atque inter- Idem Oldradus sup.

terdiu hymnos & cantica psallentibus in Ecclesiâ concineret, & in eâ frequèns pernoctaret.

Caput LXIX.

Varia miracula, quibus Deus sanctitatem D. Augustini confirmare voluit.

Oldradus apud Baronium t. 9. anno Christi 725.

Sacrosanctvm verò corpus pluribus ibi claruit miraculis, ad fidem stabiliendam posterorum, ita vt multi solo pignorum sacrorum attactu, variis morborum generibus liberati fuerint. In ceteris qui curati fuerunt, peregrini aliquot Transalpini quadraginta numero, Romam contendentes, cùm in itinere prope vicum Cauæ, qui locus abest Papiâ circiter triginta millibus passuum, ex lassitudine substitissent, sub horam noctis secundam è templo proximo, quod erat sacrum D D. Cosmę & Damiano, videre quemdam progredi veste indutum Pontificali: qui vicinior eis factus, rogauit quónam iter instituerent. Atque hi cùm respondissent, se Romam pergere loca sancta visitandi gratiâ, & vt singuli quâ premebantur necessitate, solui possent, meritis eorumdem Diuorum, quorum ibi reliquiæ condebantur; ad eos dixisse fertur in hanc sententiam: Pergite ad vrbem proximam vobis Papiam, & inuisite templum beati

beati Petri, quod eſt in Cælo aureo, ibidem ſanitatem priſtinam recuperabitis. Quis eſſet interrogantibus, ſubiecit, Auguſtinum ſe eſſe Hipponenſem Epiſcopum. At illi ſtupore & gaudio pleni, feſtinarunt Papiam, & ingreſſi templum exclamarunt; Sancte Auguſtine, prout es pollicitus, reſtitue nobis ſanitatem. Quæ verba ſimul pronuntiauerunt, conſuetæ valetudini ſeſe redditos ſenſere. Mox Deo Seruatori, & D. P. Auguſtino gratiis actis, ad propria lætiſſimi remearunt. In eodem ſepulcri loco, per id tempus quo tranſlatio reliquiarum facta eſt, diuinitus fons exiliit, qui etiamnum fluere non deſinit, ex quo fonte ægri libantes, & præcipuè febrientes ſanabantur: ac etiamnum plures qui affectu religioſo guſtant, ipſius aquæ vim quam inibi deguſtauimus, ſalutiferam experiuntur. Declarare hîc ſine dubio voluit Deus tam mirifici Doctoris inexhauſtum ſapientiæ flumen, quo totum orbem irrigans, quaſi infidelitatis ſiccitate quadam ac errorum veneno mortales liberauit. Quod ipſum ſancto Bernardo videtur indicaſſe, dum per noctem, in Matutinis precibus, ſub lectionem Tractatus diui Auguſtini, vidit in conſeſſu monachorum pulcerrimum adoleſcentem, quem ſanctum Augu-

Quadraginta ſimul peregrini per B. Auguſtinum ſanantur.

Circa diui Auguſtini reliquias fons ſcaturit, & quid is ſibi velit.

B. Iordan. Hortulus Reginæ Ser. 89. De Sanctis.

gustinum esse non dubitauit, ex cuius ore tantus inundantium aquarum impetus erumpebat, vt omnem illam Ecclesiam implere videretur. Huic aptum illud nostri Baxij:

Hæretici me fulmen habent, Ecclesia flumen:
Hos peto quò pereant, hāc rigo ne pereat.

CAPVT LXX.

De sublimi gloriâ animæ eius in cælis.

Petrus de Natal. li. 7. c. 128. B. Iordan. Serm. 238. Aegid. Zamorensis inter documenta Eccles. Tolet.

HIS tot honoribus, tot sanctitatis argumentis claruit claretque in terris sacrum eius corpus: anima verò, quàm primùm his corporeis vinculis fuit expedita, in Beatorum sedes euolauit; vti cuidam viro religioso fuit ostensum, qui raptus in ecstasim, contemplatus est beati huius Pontificis animam nube exceptam in cælum deferri Pontificiis insignibus ornatam. Ad hæc obseruauit eius oculos instar radiorum solarium totam Ecclesiam illuminare, & odore suauissimo circumuicina loca repleri. Neque verò humilem inibi locum, sed inter præcipuos Diuos est adeptus. Colligitur ex virtutum eius magnitudine, tum præsertim ex ingenti caritate, cui præmium ipsum cæleste respondet. Confirmant hoc ipsum non pauci ex Præfatione

quæ

quæ præponitur Moralibus D. Gregorij; eademque sumpta videtur ex Appendice Synodi Toletanæ, quæ Septima fuit. In quâ est, Taionem Episcopum Cæsaraugustanum, cùm rogante Chindasuindo Hispaniarum Rege, caussâ quærendorum Moralium diui Gregorij Romam esset profectus, inque æde diuo Petro sacrâ per noctem precibus feruenter instaret, vidisse cunctam Ecclesiam inusitato lumine repleri. Posthæc obseruasse frequentem virorum multitudinem, qui templum inirent, quique ordine decenti, bini & bini ad altare diuini Petri succederent. Cumque Episcopus nimio terrore correptus, loco quo constiterat, mouere se non auderet, addunt eum vidisse duos ex eodem cœtu ad se venientes: quorum alter leniter appellans Episcopum, percontabatur quis esset, & quamobrem venisset, & quid eâ horâ ibidem vigilaret. Episcopo verò ad singula respondente, totamque itineris sui & orationis caussam aperiente, is qui aduenerat digitum intendens, In scrinio, inquit, hoc quod cernis, insunt libri quos inuestigas. Tum verò Episcopus sumpto animo, Obsecro, inquit, domine, seruo tuo declara, quænam hæc quam cerno tam præclara virorum processio? protinus ille:

Apud Cōc. Toletan. 7. in fine.

Admirabilis visio.

Duo, respondit, illi, quos præcedere seque inuicem insertis manibus amplecti vides, Apostolorum sunt Principes Petrus & Paulus. Reliqui verò quos deinceps vides stare, fuêre Apostolicæ huius Sedis Pontifices, & ipsi eorumdem successores: parique ordine quo fuerunt in Episcopatu se quisque consecuti, etiamnum vti cernis, incedunt. Ac quemadmodum in viuis hanc Ecclesiam dilexêre, sic & à morte faciunt, sæpè sæpiùs eam inuisentes. Tum Episcopus, Precor, inquit, domine, temetipsum mihi significa. Subiecit ille: Gregorius ego sum, pro cuius libris tantum itineris laborem es perpessus; ac propterea hîc comparui, vt animo tuo faciam pro voto satis. Rursum Episcopus: Quæso (si tamen hîc est) de his omnibus, quisnam est D. Augustinus, cuius libros pari cum tuis amore sum prosecutus. Respondit, *S. Augustinum virum excellentissimum de quo quæris, altior à nobis continet locus.* Principes Apostolorum excipiebat, quos anteire, seorsum à reliquâ multitudine, implicatis manibus dixerat. Non est hoc dissimile istius, quod de alio quopiam viro eximiæ sanctitatis reperi scriptum, qui in ecstasim actus, Beatos vidit in gloriâ: cùm verò S. Augustinum ibi non obseruasset, ab his est sciscitatus, vbi nam is es-

D. Augustinus locū inter præcipuos Diuos obtinet.

is esset. Responderunt illi, Augustinum in editissimis esse locis, de gloriâ sanctissimæ Trinitatis disputantem.

Constat etiam hoc ipso tempore superesse Calari in Sardiniâ trabem, quæ diuinitus excreuit, cùm breuior esset quàm vt ab vnâ parte sacelli (ædificabatur hoc iuxta diui Augustini sepulcrũ) ad alterum latus extendi posset. Ea ipsa trabs in partes quotidie diuisa, maximè pro febricitantibus, non imminuitur, nec minimum decrescit; imagine reor ac similitudine aliquâ Crucis Dominicæ, ad quam omnem vitam suam Vir sanctissimus composuit, quæ tot in locis discreta, ac frustillatim à Christianis secta, nihilominùs à tam multis non citra miraculum habetur.

Continuũ miraculũ.

Cyril. Ierosl. catech. 10. Paulin. epist. 11.

CAPVT LXXI.

Canutus Britanniæ Rex D. Augustini brachium ex Italiâ in Angliam infert.

SVB annum Domini cIɔ. XXVII. Canutus, qui regionibus Angliæ, Daniæ, & Noruegiæ imperabat, ex voto quod olim conceperat, Romam est profectus, *Oratum*, vt ipsemet loquitur, *pro redemptione suorum peccatorum*, pro regnorum & subditorum incolumi statu, nominatim verò, ad diui Petri inuocandum patrocinium. Ibi

Guilielm. Malmesburiensis li. 2. de reb. Angl cap. 11.

cum Pontifice Ioanne XVIII. & Imperatore Conrardo, ac Rege Burgundio rebus compositis, quos ibi cum Principibus aliarum omnium gentium inuenit, reditum parauit, literisque in Angliam præmissis, quibus animalium decimas, & denarium Romæ S. Petro debitum solui mandat, Papiam pertigit. Quâ in vrbe summis precibus S. Augustini brachium impetrauit, & Conuentriam misit; quod ibidem aliquamdiu magnâ credentium est religione cultum. Is idem vti erat in nos propensissimus, complura ædificauit Augustiniana monasteria, famamque nostram non modicè quaquauersus extendit.

Baron. anno 1027.

Philip. Bergom. in Chronic. Poly. Virgil. lib. 8. Fascic. &c. Pamphil. ex histor. Anglicanâ f. 28.

Canutus rex Angliæ multa monasteria Ordinis S. Augustini sub annum Domini 1027. erigit.

Ceterùm D. Augustini corpus Papiæ in monasterio nostro, per hæc quoque tempora summo est in honore, & locum alioqui celebrem, maximè illustrem reddit: quin vniuersam Italiam (audeo dicere) ampliùs exornat, quàm quidquid in eâ fuit antiquitas rerum spectabilium admirata.

CAPVT LXVII.

Quædam apparitiones, & miracula S. Augustini.

B. Iordan. De transl. Ser. 59.

ACCIPE & aliud, Lector optime, miraculum. Vir quidam nobilis patriâ Senensis, cùm summo studio habere vellet parti-

particulam aliquam corporis S. Auguſtini, quam religioſè obſeruaret, Ticinum profectus, ab eo qui id cuſtodiebat, exiguum aliquid reliquiarum expetiit. Is cùm non auderet quidquam detrahere corpori ſanĉto, homini porrexit cuiuſdam viri non ita pridem humati pollicem, ſerico inuolutum, aſſerens eum eſſe S. Auguſtini digitum. Hunc itaque Patricius ille ſummâ reuerentiâ excipiens, iam ori, iam oculis admouebat: crebrò quoque ſinu geſtabat, & quòd permirum videatur, frequentia circa eum fieri cœpêre miracula. Quam cùm vîderet S. Auguſtinus hominis iſtius & aliorum ei ſimilium pietatem; nocte quadam in ædibus ipſius Patricij ſubdormientis, multâ luce circumfuſus ſemet videndum exhibuit, & ad virum iſtum conuerſus: Digitus, ait, ille quem meum eſſe ratus, tanto honore proſequeris, nec de meo ſumptus eſt corpore, nec de alicuius Sancti: quare ne voto tuo frauderis, accipe digitum hunc meum: ſtatimque ademptum dexteræ pollicem ei dedit, ſimulque diſparuit. Fuêre autem quacumque vir ille iter facetet, creberrima ſecuta digitum hunc verum miracula. Quod vbi Rex Longobardorum intellexit, ſancti corporis tutorem (nondum enim id temporis noſtri hoc loco potieban-

Pamphil. an. 1477. Paulus Veron. Serm. De orat. P. Valderama ſer. 3. theatri Relig.

tiebantur) in carcerem coniecit, volens rei ſeriem exactiùs intelligere. Cuſtode reſpondente, ſe, neſcio cuius pollicem cadaueris dediſſe, ignorare verò quî digitum hunc ipſiuſmet Auguſtini foret adeptus; iuſſu Regis apertum eſt ſepulcrum, ſanctoque corpori deeſſe pollicem dexteræ compererunt. Eiuſdem diuinitus conceſſi muneris particulam aliquam fuiſſe conſecutum ſe, refert Iordanus de Saxoniâ: ac etiamnum ipſius pars maior venerabiliter aſſeruatur in templo noſtro Auguſtiniano Montis Alcini in Etruriâ.

Serm. 54. De Sanct.

Quo verò ſit ordine in cælo, quâ poteſtate, quantum valeat clientibus ſuis apud Deum patrocinari, non obſcurè declarant apparitiones, miracula & beneficia, quibus à variis ægritudinibus atque incommodis ſibi deditos liberauit. Quæ cùm ſint plurima, nec in ordiné facile queant redigi, paucula dũtaxat & obiter delibabimus.

Iacobus de Vorag. in hiſt. S. Auguſtini.

Varia miracula.

In monaſterio quod eſt in Burgundiâ, (Fontanetum vocant) Hugonem monachum fuiſſe ſcribunt, qui ſtudioſiſſimus erat D. Auguſtini, idemque cupidiſſimè ipſius opera peruolutabat, tantum, vt vix alterius ſcriptoris lectioni operam daret. Quâ pietate incenſus, Deum rogauit vt ſe dignaretur non alio tempore, quàm ipſo die, qui Augu-

Auguſtino ſacer eſt, euocare; tum enim libenter velle ſe diſcedere. Cuius voto Deus annuens, quindecim diebus ante ſolemnia D. Auguſtini, fecit vt morbo letali decumberet, ita nimirum vt pridie eius diei animam ageret, omnibus ex more Catholico perceptis Sacramentis. Sub medium noctis Monachus quiſpiam in templo pernoctans vacanſque orationi, repente vidit totam Eccleſiam lumine reſplendeſcere, ſubireque per oſtium frequentes homines, auguſtâ formâ & coruſcante, in quibus vnus ſpecie reliquis maiore, & honoris pleno vultu, cum Pontificalibus infulis proceſſit. Iſte cùm releuatus à timore paululùm reſpiraſſet, ex his vnum eſt percontatus, quinam hi eſſent: reſpondit, D. Auguſtinum adeſſe cum ſuo comitatu, vtpote qui veniret ad ſui obſeruantiſſimum cultorem Hugonem, illicò moriturum, velle autem animam ſancti Monachi ſecum in cæleſtem patriam adducere. Vix hæc protulerat, cùm ecce fit omnium religioſorum in noſocomium cõuentus; in quo nonnihil morante, cedentem ex corpore morientis animam in cælum iidem Sancti deduxêre.

Narrat idem Auctor pluſcula, quæ ibidem accidêre miracula, ac primò quemdam adoleſcentem traditum carceri Mar-

chionis à Malaſpinâ, cùm ſiti tantùm non enecatus eſſet, quò liberalius pretium ſolutionis promitteret, inuocaſſe in re tam aſperâ opem D. Auguſtini; eumdem mox ei viſum fuiſſe, atque de carcere deduxiſſe ad flumen Gracilonem, cuius aquâ ſitim adoleſcens explerit.

Secundum eſt, cuiuſdam Eccleſiæ Antiſtitem, qui triennium decumbens, ſic fuerat vſu membrorum deſtitutus, vt ſe loco mouere non poſſet, à D. Auguſtino, cuius erat ſtudioſiſſimus, in præuigilio feſtiuitatis eius, ardentibus precibus rogaſſe ſanitatem. Itaque S. Auguſtinum ab eo conſpectum iuſſiſſe, vt lectulo ſurgeret, templum adiret, Horiſque veſpertinis, quæ in eo recitabantur, pro deſiderio intereſſet.

Tertium eſt miraculum impenſum diuinitus cuiuſdam Eccleſiæ Præpoſito, qui tetro apoſtematis vlcere, & oculorum cæcitate afflictus, interceſſione S. Auguſtini, quem inuocabat, eſt liberatus.

Quartum in molitore quodam habemus, quem ſuis apud Deum ſuffragiis à tibiarum dolore liberauit.

Quintum eſt in puerulo calculoſo, quem cùm videret mater ſummis doloribus torqueri, ideóq; domeſticorum conſilio Chirurgis eſſet eum traditura, remedio cru-

deli

deli in re tali vtentibus, ad B. P. N. Augustinum cum lacrymis gemituque versa, vt carissimum hoc suum pignus rogatione apud Deum curare dignaretur; voti sui compos est reddita, filiolo sanitati ablatione calculi restituto. Huic addo B. Ioannem Saguntinum, Augustinianum illustre præsidium, & patronum tutelarem Academiæ Salmanticensis, qui similiter calculo grauissimè conflictatus, postquam efflagitauit patrocinium, atque vouit ingredi Religionem eiusdem D. Augustini, simili malo liberatus fuit.

P. Valderama in Theatro, folio 277.

Etiam contra locustas regionem vniuersam magno numero depascentes, S. Augustini preces in cælo valuêre. Has enim exoratus abegit primùm in Regni Toletani ciuitate Guadalaiarâ, deinde prope Malaganium in ciuitate Ernan Caualleros: & multò antè ciuitatem ipsam Toletanam, extremâ fame laborantem, præsentissimæ morti eripuit. Cùm enim supplicationes haberet populus, & longis ieiuniis orationibusque semet affligeret, omnibus inspectantibus venit Augustinus, pedo pastorali locustas omnes, & vim noxiorum animantum, in flumen Tagum propellens.

Ann. 1268. Regist. Eccles. Toletanæ.

Itaque tanti beneficij memoria ne vmquam excideret, semet ciues voto ad sup-

plicationem annuam obſtrinxêre; quæ res hiſce verbis in Faſtis eorum eſt comprehenſa: *Hac die* (Dominicâ nempe in Albis) *eſt nobis obligatio faciendi proceſsionem vſque ad monaſterium ſancti Auguſtini, ex voto facto pro locuſtâ.*

Lib. 2. c. 5. *Epidemiã quoque S. Auguſtinus auertere ſolet.*

Quin & epidemiam auertere ſuprà relatum eſt, exemplo Papienſium anno Domini M. D. I I I. quamobrem ſolemniter ei faces ceræ candidæ duodeuiginti quotannis offerre ſolent.

In bellis victoriam impetrat. Ioſ. Păph. in Chron. anno 1430.

Sed & in bellis à Deo victoriam impetrat: Franciſcus enim Gonzaga Dux Mantuanus, tum à Genuenſibus, tum à Philippo Galeato Duce Mediolanenſium grauiter oppugnatus, ad D. Auguſtinum oratione cum voto factâ confugit. Apparuit is Duci, vt Canonicis Regularibus ipſe Gonzaga poſteà retulit, veſte indutus nigrâ, zonâ ſuccinctus coriaceâ, & amictus pluuiali, vt vocant, victoriam oranti promittens: quam duabus vicibus ipſo S. Auguſtini die feſto contra Ligures hoſtes eſt Mantuanus conſecutus. In cuius rei memoriam vrbs Mantuana patronum ac defenſorem ſui delegit Auguſtinum, diemque eius ſolemni Religione celebrat: & ipſe dux Mantuanus ſacris intereſt quæ tum in æde Auguſtini peraguntur, & munus ibidem ex more

Paul. Bergom. in Apol. c. 8.

more offert. Historiam totius rei, portæ ciuitatis incisam esse ferunt, exstatque de eadem hoc Epigramma:

Vos patriæ ciues, quibus hic Pater expulit olim
Bis Ligures, latúmque dedit bis habere triumphum,
Dum sua curriculo bis festa darentur eodẽ,
Este boni memores, & grati aduertite dona,
Mecum huic laudes, mecum huic celebretis honores.
Protector patriæ, spes & tutissima nostra,
Augustine Parens, Doctor, Lux inclyta sacri
*Eloquij, innumeras * Ocnæas accipe laudes.* * Ocnæas, *id est*, Mantuanas: *fuit enim Ocnus conditor Mantuæ.*
Tendimus inde manus humiles, oculósque precantes
Venturo aduersis, vt quondam protege Princeps.

Refert Ambrosius Coranus, D. Augustinum cuidam matronę apparentem dixisse, Da mihi filium tuum; cui cùm illa renueret, præeligens potiùs sæculari eum vitæ quàm monasticæ consecrare; denuò eum petiisse sibi offerri: ac mox esse visum Augustinum à matris latere filium abstrahere, & iuxta maius altare in templo nostro, quem tulerat, deposito, in hanc eum affari sen- In Apol. cap. De renel.

ſententiam : Tu apud me ſtabis, & ſucceſſor meus eris. Mulier viſu admonita, ſed & mariti cohortatione impulſa, filium ſuum Auguſtinianæ ſocietati obtulit : qui cùm pietate tum doctrinâ plurimùm omnibus antecelluit.

D. Auguſtinus cum B. Virgine S. Nicolaū Tolent. curat, & ad beatitudinē inuitat.

B. Nicolaus Tolentinas aliquando laborauit tam grauiter, vt pro derelicto à Medicis haberetur : at ipſe fortiter ac patienter morbum perferens, Deo eiuſque Matri, ac S. P. Auguſtino ſe commendauit. Quo facto, ſuaui ſomno fuit correptus : & ecce, dormienti Virgo Deipara ſanctuſque Pater Auguſtinus ſeſe intuendos amœnis vultibus obtulêre. In hanc autem cum admiratiõne cõuertens oculos vir ſanctus, Quænam, ait, es Domina, quæ ad me puluerem ac vmbram, tanto circumdata ſplendore venis? Reſpondit hæc, Saluatoris tui Mater, & Virgo, quam tu ſæpenumerò cum B. Auguſtino, quem iuxta me vides, inuocaſti : atque ideò nunc adſumus, vt tibi remedium valetudinis humile aliquod ſuggeramus : extenſóque verſus plateam indice, Mitte, dixit, ad talem mulierem, & ab eâ panem recens coctum roga, quem in aquam intinctum ſumas ad recuperandam priſtinam ſanitatem. Itaque B. Nicolaus excitatum ſui corporis adminiſtrum, quem de

de hac viſione celauit, ad eamdem feminam miſit, vt pro Dei amore ab eâ panem rogaret: qui cùm feciſſet, panem aquâ conſperſum ægrotanti dedit. Vir autem ſanctus facto ſigno crucis eum ſumpſit, & illicò conualuit. Inde Romani Pontificis aſſenſu panem ex more ſacramus, quem cum aquâ & inuocatione S. Nicolai capientes, à febribus præcipuè, puerperij doloribus, morbis contagioſis, aliiſque id genus malis liberantur. Teſtes ſunt huiuſce rei cùm aliæ ciuitates plurimæ, tum etiam noſtra Antuerpia, quâ in vrbe non pauci mortales leuamen ægritudinis, per hunc ſacrum panem ſunt experti.

Idem vir ſanctus menſibus ſex, antequam hinc migraret, Angelorum ſuauiſſimum concentum auribus corporis quotidie percipiens, vitæ mortalis terminum adeſſe intellexit: quapropter ineffabili dulcedine animi perfuſus reſpondit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Christo.* Dein Catholicæ Eccleſiæ Sacramentis acceptis, cùm magnâ pietate crucem amplexaretur, Salue, dixit, Crux pretioſa, quæ digna fuiſti portare mundi pretium; qui in te pependit, & latroni miſericordiam imploranti pepercit, ipſe me per te defendat ab hoſte infeſto in hac horâ. Crucem igitur ob oculos continenter

nenter poni iussit: cuius mysteria cùm secum reuolueret, digressis è cubiculo sodalibus, vox audita fuit ridentis præ gaudio: quæ quidem alterius esse videbatur, cùm tamen esset ipsius exultantis, quod iam per speciem esset visurus, quæ hactenus per spem viderat. Hi ergo in cubiculum regressi, rogauêre quæ tam inusitatæ lætitiæ caussa foret; quibus ipse: *Dominus meus* IESVS CHRISTVS, *suæ beatißimæ Matri, & benedicto Patri Augustino inhærens, méque ad beatitudinis immensum gaudium inuitans, ait: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

A. Antolinez in Dedicat. Vitæ B. Ioannis Saguntini.

Denique vt hoc coronidis loco subiungam: Toleti fuit primariæ nobilitatis idemque eximiæ pietatis eques Patricius, Gondisaluus Rodrigues, D. Augustini singulariter studiosus, quem visus est hic noster simul cum beato Stephano terræ mandare, hæc verba intensiore voce pronuntians: *En quomodo Sancti suos honorent.*

Iacobus de Vorag. suprà, & hist. Lombard.

Tot autem fuêre similes apparitiones, tot beneficia, tot miracula diuinitus intercessione eius facta, vt quamuis nunc pauciora videantur, olim tamen suspésa fuerint tam copiosa anathemata, donaria, siue tabellæ, vt ædes tota Papiensis, & porticus circumquaque iis vestirentur: quin adeò, vt peregrinis

grinis eò conuenientibus remoram adferrent: quamobrem & Religiosi in locum alium transferre ea sunt coacti.

Atque hæc fere sunt, quæ scriptorum prodita monumentis habui in medium adferre, de S. P. N. Augustini mirandâ conuersione, deque rebus post eum in vitâ, & à vitâ gestis. Quæ quamuis fortasse non erunt vt satisfaciant omnibus ex animi sententiâ, spero tamen operæpretium fecisse apud pietatis studiosos, qui Vitam tanti talisque Antistitis & Doctoris Ecclesiæ considerantes, ampliùs ad virtutem poterunt accendi: tum etiam apud eos operam benè collocasse reor, qui aut prauis opinionibus seducti, vt quondam ipse Augustinus, aut etiam Catholicum nomen factis non vsqueadeò probantes, hîc inuenient quem sequantur, & cuius virtutes dum legent, ad imitandum se impelli sentient. Tum denique meis sodalibus rectè consuluisse non dubito, qui in hoc libro tamquá in speculo poterunt obseruare, si qui moribus etiamnum velut næui adhæreſcent, eosq; Parentis sui exemplo tollere, & quoad huiusce vitæ misera conditio permittit, ad ipsam perfectionem, quæ Religionis summa est, adspirare nitentur.

EPI-

EPINICIVM S. AVGVSTINI, vulgò SEQVENTIA.


De profundis tenebrarum,
Mundo lumen exit clarum,
Et scintillat hodie,
Olim quidem vas erroris
Augustinus, vas honoris
Datus est Ecclesiæ.
Verbo Dei dum obedit,
Statim credit, & accedit
Ad Baptismi gratiam.
Quam in primis tuebatur
Verbis, scriptis execratur
Erroris fallaciam.
Firmans fidem, formans mores,
Legis sacræ peruersores
Verbi necat gladio.
Obmutescit Fortunatus,
Cedunt Manes & Donatus
Tantæ lucis radio.

Mun-

Mundus marcens & inanis,
Et doctrinis tritus vanis,
Per pestem hæreticam.
Multum cœpit fructum ferre,
Dum in fines orbis terræ,
Fidem sparsit vnicam.
Clericalis vitæ formam
Conquadrauit iuxta normam
Cœtus Apostolici.
Sui quippe nil habebant,
Tamquam suum: sed viuebant
In commune clerici.
Sic multorum pro salute
Diu viuens in virtute,
Dormiuit cum patribus.
In extremis nil legauit,
Qui nil suum æstimauit,
Imò totum reputauit
Commune cum fratribus.
Salue gemma Confessorum,
Lingua Christi, vox cælorum,
Scriba vitæ, lux Doctorum,
Præsul beatissime.

Qui te Patrem venerantur
Te ductore consequantur
Vitam, in quâ glorientur
Cum Sanctorum agmine.

AMEN.



A·P-

APPENDIX DE PROVINCIIS ET CONVENTIBVS AVGVSTINIANIS.



VIA *sæpiùs in hoc libro est facta mentio diuersarum Societatum, quæ sub* D. AVRELIO AVGVSTINO *vel ut magno Duce militant; subieci hîc primùm plerasque Prouincias, & Conuentus aliquot earumdem, qui priusquam hæc Vita ederetur, ad meam cognitionem peruenêre, quæque Prouinciæ ac cœnobia Eremiticæ nostræ Religioni directè subiiciuntur. Attexui deinde Catalogum earum Sodalitatum, quæ quidem sub Augustinianâ Regulâ, vel ut generali signo, diuersis tamen Ordinibus aliisque Ducibus merent; ac corporis nexu sunt à nobis distinctæ. Itaque prima Sodalitas* D. P. AVRELIO AVGVSTINO *immediatè subiecta est* Ordo Fratrum Eremitarum D. AVGVSTINI, *ab ipsomet Sancto sic dictus; institutus autem ab eodem, in eremo, non procul à Tagastâ, sub annum Domini* CCCLXXXIX. *vel etiam, ut alij censent,* CCCLXXXVIII. *& confirmatus ab Innocentio* I. *circa annum Domini* CCCCII. *deinde etiam à Leone* I. *Innocentio* III. *&* IV. *Alexandro item* IV. *& aliis: qui tamen tres posteriores hunc Ordinem non tam approbarunt,*

In quibusdam vrbibus complura sunt Augustiniana cœnobia, ideoque contingit eiusdem vrbis nomen interdum hîc repeti.

quàm diuersas Congregationes huius quoque Regulæ (quæ D. Guilhelmi, B. Ioannis Boni, Pœnitentiæ Iesu Christi seu Saccitarum, De Britinis, &c. dicebantur) ab Episcoporum iurisdictione exemptas, sub vno Capite seu Patre Generali adunarunt, vnde & an-
5. Iunij. *tehac Reünionis festum celebrari solebat. Vide S. Antonin. 3. p. t. 24. Onuphr. an.* M. CC. LV. *Genebr. in Alexandro* III. *& hunc nostrum l. 2. suprà c. 12. 14. 15. 19. 20. 22. & aliis. Est autem hæc Societas in diuersas Prouincias, velut in varias colonias distributa, quarum omnium est caput*

AFRICANA,

Africæ Conuentus. *Vbi sanctus hic Ordo (vt iam est dictum) primò fuit institutus, & inde admirabili propage quaquauersum extensus. Nam vt loquitur Cardinalis Ba-*
Anno 391. *ron. tom. 4.* Ex hac quidem plantatione accepti palmites, longè lateq; diffusi, tum in Africâ, tum in aliis plerisq; Ecclesiis Occidentis, fructu vberrimo locupletaruńt Ecclesiam. *& tomo 5.* Ex Paulini redditis ad Alipium literis illud quoq; dignú memoriâ compertum habetur, Monachismum (*Eremitarum, de quo antè*) in Africâ, quem ex Italiâ Augustinus patrium solum repetens ante sex annos illuc primus inuexerat, iam longè lateque fecundâ fuisse propagatione diffusum. Vt planè videas, ex vno Augustini monasterio vniuersam Catholicam Ecclesiam Africanam sanctis Sacerdotibus & monasteriis (aliis ex aliis deriuantibus) breui tempore fuisse repletam; Donatistis propterea inuidentibus, & nomen Monachi execrantibus: *quorum iniuriâ, nec non Vandalorum atque similium Barbarorum rabie, sic perierunt monasteria, vt vix inter ruinas ipsorum aliquot nomina*

mina remanserint. Trium cœnobiorum meminit iam citatus S. Paulinus Epist. 35. apud Augustinum, fueruntque ea

Tagastense,

Hipponense,

Carthaginense; *vbi & aliud extruxit Iustinianus Augustus sub annum Domini* D. XXXIV. *Procop. De ædif. Iust. l. 6,*

Duo *etiam in eadem regione sunt ædificata* Monasteria *à Piniano, Melaniâ, & Albinâ*, quibus satis, *teste Baron.* dedit opum atque prouentuum, Tomo 5. quorum alterum quidem habebat chorum virorum numero octuaginta, alterum autem habebat virgines numero centum & triginta. *Et licet hæc aliaque plurima Ordinis Monasteria à prædictis Barbaris, Vandalis & Arianis (prout paucis S. Possidius, & multis D. Victor Vticensis refert) fuerint solo æquata, & sodalium pars maior in varias orbis plagas dilapsa; non pauci tamen inter hos persecutionum turbines remanserunt, monasticam vitam exactè seruantes, & pro fidei Catholicæ defensione per multa tempora, tamquam muros sese opponentes: donec tandem Trasamundo diuinâ vltione sublato, Catholicis est restituta libertas Religionis.* anno 409.

Trabacense, *non longè à Tuneto dissitum*, cui Baron. t. 6. præerat V. P. Andreas: *ex quo SS. Martinianus*, anno 456. *Saturianus, & alij duo eorum germani, grauibus af-* 26. post obitũ S. Au- *fecti suppliciis. Rex enim Gensericus* iussit in mo- gustini ex rem ferarum fustes robustos veluti palmatos cum Vict. Vtic. stirpibus fieri, qui quatientibus tergis non solùm l. 1. de persec. ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei Vandal. & in intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, & dissipatis carnibus viscera nudarentur, se- Martyrol. 16. Octob. quenti die Christo medente, ita frequenter inco-

 lumes

lumes reddebantur, vt nulla plagarum vestigia viderentur. Tandem vinctis pedibus, post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca siluarum, iussi sunt *(supremum inuicem vale alacriter precati)* pariter interire: *quorum memoria in publicis Ecclesiæ tabulis rediuiua claret annuè 16. Octob. cum B. Maximâ horum bonorum omnium conciliatrice, quæ post multos superatos agones diuinitus liberata, in alio Ordinis monasterio sanctarum Virginum Mater sancto fine quieuit.*

Anno 484. Capsensis Conuentus, *è quo septem illi insignes Martyres, in Menologium relati 16. Kalendas Septembr. de quibus plura superiùs in hoc nostro l. 2, c. 19.*

Riguensis, *in quo corpora horum Sanctorum honorificæ tradita sunt sepulturæ, praeunte venerabili Ecclesiæ Carthaginensis Clero: Vict. Vtic. l. 5. in fine.*

Ruspensis, *è quo D. Fulgentius, eiusdem quoque loci posteà Episcopus: cuius historiam & heroicas virtutes latè prosequitur eius discipulus apud Surium* 1. *Ianuar. & C. Baron. t. 6. & 7. Quibus patet, complura monasteria inter persecutionum furias perstitisse, atque etiam quo habitu vterentur id temporis nostri Monachi, & quàm latè per totam Africam D. Augustini Religio sese porrigeret.*

Ididensis, *ab eodem B. Fulgentio de nouo erectus: Auctor Vitæ eius ad Felicianum.*

Byzacenensis, *seu à loci donatore* Siluestrius, non tam structuræ magnificentiâ, quàm omnium cęlestium virtutum splendore admirandus: *Idem.*

S. Genesij: *M. SS. Lusitanica.*

Vizanzinus, *cui præfuit B. Felix ab hæreticis ob amorem fidei Catholicæ animo hilari multa perpessus: A. Steiban. f. 260. Templi.*

S. Sa-

S. Saturnini Martyris Conuentus, *quem idem B. Fulgentius ædificauit, sub annum Domini* D. IV. *in Sardiniam exilio relegatus, alios complures ad idem vitæ genus illiciens. In Vitâ S. Fulgentij, qui decessit centesimũ circiter annum post Patris sui Augustini (cuius semper fuit studiosissimus) obitum, & primo, quo S. Benedictus Cassinum est ingressus.* C.Bar. Anno 504.

Post longum verò temporis interuallum, Arianorum & deinde Mahumetanorum furore in Africâ omnino debacchante, Monasteria pleraque sunt diruta, & fratres pelliceo adhuc cingulo vtentes, *qui gladium effugerant, in diuersas orbis partes fuêre dispersi. Dicitur nihilominùs inter Barbaros & Mahumetanos etiamnum extare S. Augustini memoriam, superstite eiusdem Hippone sacello.* Baron. t.9. anno 827.

FESSÆ & MAROCHII,

aliisque MAVRITANIÆ, *vel etiam* ARABIÆ *vrbibus, Ordinis Augustiniani Conuentus nõ paucos fuisse, inter alia argumenta videtur esse liber Arabico vel Barbarico idiomate conscriptus. Cùm enim anno ab hinc tertio Dom. Ludouicus Fachardus contra piratas fretum Gaditanum infestantes expeditionem susciperet, Maurorum quamdam prætoriam inuasit, in quâ erant munera Regis Marochiani Mulei Zeidan, quæ mittebat Turcarum Imperatori, vt suppetias ei contra fratrem germanum ferret. Inter cetera spolia, erat liber quidam literis Arabicis ita vetustate exesis, vt ex illis sensus erui non posset. Duobus in locis huius libri (in Escuriacâ bibliothecâ cum aliis iussu Regis Catholici repositi) depictus cernitur Episcopus Pontificalibus indutus, qui in altiori throno sedet, & iuxta eum Religiosi vestibus monachicis amicti, cucullo nimirum nigro, seu caputio,*

& corrigiis præcincti, quales iam ab hinc annis amplius M.CC. *Augustinianos gestasse certum est, docetque Baron. tom 6. anno* D. IV. *in Vitâ S.Fulgentij. Et quamuis huius rei sensus non omnino pateat; satis tamen euidenter hinc videtur colligi, ipsos gentiles hîc aliisq; in locis viciniorıbus iam olim Monachos Augustinianos penes se habuisse, eosque vt eiusdem Africanæ prouinciæ alumnos cognouisse, ac coluisse. Publicum huius picturæ testimonium fuit per Notarium desumptum iussu Illustrissimi Domini P. Alexij Menezij Augustiniani, qui id sibi reseruat.*

ÆTHIOPICOS & LIBYCOS

Conuentus superiùs l. 2. c. 18. verbo indicaui, eosque tot fuisse scribit Sabellicus, vt propter terrarum ibi vastitatem, eorum ratio iniri non possit. Affirmabant idem Augustiniani Patres superiori sæculo in Italiam circa annum Domini M. CCCC. XC. *delati. Aliquot horum in antiquis nostris Archiuis Romæ deprehenduntur ab immemorato tempore inscripti:*

Aenead. 7. l. 9.

Conuentus:
- Alleluia
- Lethiopia
- Sciona
- Debraban
- Cosquan
- Debrilibanos
- Macanas
- Abesghei
- Damit
- Tegre

Conuentus:
- Zamben
- Vuagh
- Abergelei
- Sere
- Trasenasi
- Aretalo
- Saber
- Muger
- Dunoci
- Marabitir.

Asiæ Conuentus.

PERSICI & ARMENICI

Conuentus nunc assurgunt, & augentur Dei beneficio,

cio, & singulari Regis Persarum fauore, cuius animus indefesso studio nostrorũ Patrum, FF. in primis Simonis Morales & Hieronymi Crucij (qui martyrij amore flagrant) ita in Religionem Catholicam & nostros Consortes est affectus, vt illam impensiùs amet, & hos ob vitæ sanctitatẽ, & maximè quòd munera quæuis ad nauseam quoq; oblata, & terrena omnia penitus spernant, stupeat suspiciatque, ac Monasterio in suâ metropoli donârit; liberrimâ facultate datâ nostræ Religionis munia omnia (quibus nonnumquam ipsemet interest) publicè obeundi, & omnibus qui volunt fidem Christianam amplectendi. Quare nostri in regio Ordinis templo citra impedimentum catechizant, concionantur, nec non Baptismi, Absolutionis, & reliquorum Sacramentorum beneficia quotidie impendunt. Itaque scribunt, tantam ad eam Ecclesiam hominum frequentiam sæpenumerò confluere, quantam hîc Iubilæi tempore fieri videmus; maximè quòd Deus Catholicam fidem suam roboret promissis in Euangelio signis, quæ facillimo precum, imaginum, aquæ lustralis, & similium vsu, illi genti sæpe obtingunt. Anno M. DC. VIII. *idem* Rex *Dansbegum, virum nobilem cum P. Antonio Goueâ Augustiniano Romam ad Paulum* V. *misit, & ab eo Prælatum seu Episcopum petiit, qui Christianis omnibus in loco* Tres-ecclesiæ *nuncupato præesset: cuius voto Pontifex annuens, magno* Reip. *Christianæ bono, remisit eis dictum P. Antonium Episcopum Olissipone consecratum. Qui ardenti suæ Religionis zelo succensus, per se & synerémitas illam vsque ad regnum Bombarecæ, & Christianos, vt vocant, S. Ioannis, circa Tigrim, & Euphratem degentes, promouet. Extant Antuerpiæ literæ eiusdem Regis Latinè redditæ per fratrem meum* Henri-

Extat hac de re Breue P. Pauli V. datum Romæ 1605. 17. Sept.

f. 14. Relatio. Persic. hîc editæ ann. 1610. apud Bruneauum.

Henricum Lancilottum S. T. Doctorem. Conuentus autem qui paucis ab hinc annis structi, sunt:
Aspainus S. Augustini
Taneisinus S. Nicolai
Persinensis S. Guilhelmi
Ciulfaensis S. Mariæ
Carachanitanus S. Ioan. Chrysostomi
Chasuinus S. Guilhelmi
Sechiertinus S. Hieronymi
Vannensis S. Mariæ Maioris
Areghiensis S. Blasij
Achlatinus S. Georgij
Mecheuanensis S. Ioan. Chrysostomi
Gondozianus S. Dominici
Ormutinus, *vbi nunc filius vnicus Regis, heres Regni, habitum nostrum S. Augustini suscepit. Vide suprà l. 2. c. 18.*

In GRÆCIA *ferunt* Peræ *superesse* Conuentum *vnicum. Est autem Pera sinu maris à Constantinopoli seiuncta, sic tamen vt vna vrbs cum eâ censeatur. In eadem ciuitate Legati Principum Christianorum, & alij homines fidei Orthodoxæ commorantur.*

EVROPÆ,

& residui orbis Christiani Conuentus, *quorum plerique posterioribus ab Africa depopulatione sæculis sunt acquisiti, hoc ferè Prouinciarum ordine in nostris Constitutionibus digeruntur.*

PROVINCIA S. AVGVSTINI, SIVE LOMBARDIAE.

In eâ Conuentus Papiensis *duplex, in quorum primario* (D. Petri in Cælo aureo *olim dicebatur) corpus*

pus D. Aurelij Augustini conditum miraculis claret; ideoque communiter D. Augustini Papiensis *appellatur.*

Conuentus

- Mediolanẽsis sancti Marci *a.*1254.
- Genuensis
- Tortonensis
- Placẽtinus S. Laurentij
- Astensis
- Vercellensis
- Laudensis
- Nouariensis
- Carmignoliensis
- Belinzonensis
- Vigoniensis
- Pinerolensis
- Alexandrinus
- Castellaciensis
- Coconatensis
- Cauellariensis

Conuentus

- Capellectensis
- Monasteriensis
- Rochetensis
- Spediensis
- Iugoianuensis
- Caorsicus
- Frageliensis
- Corniensis
- S. Angeli
- Vallis tecitæ
- Variensis
- Syluaciensis
- Zauatarellensis
- Casatensis
- Castilionensis
- Maziniensis iuxta Lacum maiorem
- Eliciensis

PROVINCIA S. MONICÆ, ALIAS ROMANA.

Conuentus

- Romanus
  - S. Augustini, *vbi corpus S. Monicæ.*
  - S. Mariæ del populo
  - S. Nicolai Tolentinatis
  - S. Matthæi
  - S. Balbinæ
  - S. Pauli de la regola
  - S. Priscæ
  - SS. 400. Martyrum.
- Tiburtinus
- Cauensis
- Genestanensis, *celeberimus ob imaginem*

Conuentus
ginem B. Virginis diuinitus apparentis. Pamphil.
M. CD. LXX.
Coranus
Anagniensis
Carpenetanus
Friiononiensis
Verulensis
Campaniensis
Pipernitanus
Rochegorgensis
Marinus
Sunoniensis
Poliensis
Brachianensis
Nepesinus
Galesinus
Malleanus

Conuentus
Viterbiensis
Ortensis
Montisfaliscienſis
Balneoregiensis
Vrbeuenetanus
Castriplebanus
Aquapendẽtanus
Soranxiensis
Patrimoniensis
Seruetiensis
Capranicensis
Cerensis
Tulfanus
Soscanellensis
Cornettanus
Centumcellensis
Ciuitatis veteris
Cutinxiensis
Syrianiensis

PROVINCIA S. NICOLAI TOLENTINATIS,

Aliàs MARCHIÆ ANCONITANÆ.

Conuentus
Anconitanus
Firmanus
Pesauriensis
Montisgubianensis
Asantanensis
Camerinensis
Reticensis
S. Genesij
Offidanus, *Sacramento miraculoso notissimus.*

Conuentus
Cryptarũ ad mare
Ciuitatis nouæ
Montis S. Georgij
Murianensis
Maceratensis
S. Seuerini
Fanensis
Forissempronien-sis
Vrbiniensis

De

Conuentus
De Ripis
Montis Elparensis
Monticuliensis
Ma:telicensis
S. Victoriæ
Amandulensis
Sarnaniensis
Montis Vlmi
S. Iusti
Montisgranariensis
S. Elpidij
Exiensis
Mondulphensis
Coronaldensis
S. Constantij
Puluerusiensis
Montis Securij
Auximoniensis
S. Anatoliæ
Cingulienſis
Roccæ contratensis
Lapidonensis
Turris palmarum

Conuentus
Massignamiensis
Montis alti
Vallis manentis
Britiniẽsis S. Blasij
Montis sancti
Montis Causanensis
S. Martini
Montis Melonis
Montis S. Mariæ in Cassiano
Montis Fortunij
Montis Monachiensis
Rotarum
S. Petri in Campis
S. Angeli in Pantano
SS. Trinitatis
Ascensionis
Bargniensis
Carticetensis
Filiorum Octauij

PROVINCIA FRANCIÆ.

Conuentus
Parisiensis S. Augustini
Alter nouus *seu* minor *dictus*.
Rothomagiensis
Ambianensis
Rhemensis
Catalanensis
Barroducensis

Conuentus
Barrofluctuensis
Baiocensis
Andegauensis
Monstaurensis
Aurelianensis
Virdunensis
Metensis
Chinouensis
Giroitensis

Cham-

Conuentus:
Champlitensis
Pontis Aliensis
Turonensis
Victriensis
Lambaliensis
Laudauensis
Carahetensis
Caudensis
Blanchensis

Conuentus:
B. Virginis à custodiis
Monsmorilionius
Molinensis
Lorethensis
Pictauiensis
Latiniacensis
Biturigensis
Ruspellensis

PROVINCIA CASTELLÆ.

Conuentus:
Salmanticensis S. Petri
Vallisoletanus
Burgensis, *anno* DCCC. LXXXIV; *ob Crucem miraculosam totâ Hispaniâ famosus.*
Madritẽsis S. Philippi
Alter S Augustini Collegium
Complutensis
Duennensis
Placentinus
Palentinus
Harensis
Sanctorum
Pacensis
Badajocensis
Baionensis
Pamplonensis
Abulensis

Conuentus:
Stellensis
Ceruecensis
Carauacensis
Segobiensis
Matinecensis
Talabricensis
Mansiliensis
Almagrensis
Soriensis
CiuitatisRhodrici
B. Mariæ del risco
Pinensis
Areualensis
Ponferadensis
Gandiensis
Pontisdeumensis
Toletanus S. Mariæ
Compostellanus S. Iacobi
Arenanus S. Mariæ
Numantinus

Badaija-

Conuentus:
- Badaijaenſis
- Cinchonnenſis
- S. Mariæ Paradiſi
- Leonenſis
- Domus Regum
- S. Pauli
- Lucronienſis

Conuentus:
- Ouetenſis
- Torenſis
- Guecienſis S. Mariæ de Ieſu
- Abulenſis S. Mariæ de gratiâ
- Madrigalenſis

PROVINCIA BETICÆ, SEV ANDALVZIAE.

Conuentus:
- Hiſpalẽſis duplex; *quorum alter etiam temporibus SS. Dominici & Franciſci, ex illius traditione gentis, floruit.*
- Collegiũ ibidem
- Cordubenſis
- Granatenſis
- Oſſunenſis
- Xerenſis
- Belciacenſis
- Montellanus
- S. Mariæ de Regula
- Coinenſis
- Gaditanus
- Teronefenſis
- S. Lucæ
- Portenſis S. Mariæ
- Chiclanenſis
- Metinenſis

Conuentus:
- Archenſis
- Cazalenſis
- Xerezenſis de los Caualleros
- Icodenſis
- Velezmalaganenſis
- Malagenſis
- Marchenenſis
- Echizaenſis
- Marchionenſis
- Alcarienſis
- Caſtilionenſis
- Villenanus
- Salmeronenſis
- Bouillonenſis
- Albazetenſis
- Murcienſis
- Priegonenſis
- Conquenſis
- Guadixenſis
- Sanacazionenſis
- Huelmianus
- Antiquerenſis

Mutinæ

Mutinæ Sidonienſis
Don Benettenſis
Xeriſenſis
Coꝛdubenſis
S. Mariæ ad Niues

PROVINCIA ARRAGONIÆ.

Conuentus
Cæſarauguſtanus
Oſcanus
S. Sebaſtiani
Valentinus S. Mariæ del ſocorſo
Alter ibidem
Setabiẽſis *ſeu* Xatiuanus *olim, in quo S. Donatus ex Africâ, cum* 70. *Monachis, & copioſâ librorum ſupellectile profugus, monaſticũ S. Auguſtini inſtitutum ſeruauit: S. Ildef. de Viris illuſtribus c.* 4. *&* 5. *Maximus Æra* 613. *id eſt anno* D. LXXV.
Rocæ fortis
Mindonienſis
Caſtellanus
Bilbitanus
Eſtellanus
Gerundenſis
Alzazienſis
Aquarienſis
Hellodienſis
Vriolanus
Carthaginenſis
Tudenſis
S. Luciæ
S. Spei
S. Iuliani.

PROVINCIA CATALONIÆ.

Conuentus
Tarraconenſis
Barcinonenſis
Fragenſis
Illeridenſis
Vrgelitanus
Domus Dei
Alcoënſis
Alicantenſis
Turricellenſis
Parolatenſis
Algijrenſis
Colleirienſis
Perpinianus
Caſtellionenſis de la plana
Caſtellionenſis de Arci-

Conuentus:
- Arcimuños
- Argulienſis
- Ceruaricenſis
- Palhiacenſis
- Madiaranenſis
- Maioricæ: S. Auguſtini; S. Mariæ
- de Itriâ. *Sunt in hac* PROVINCIA, *uti & in* MINORCA *plures alij Conuentus, quorum nomina necdum ſum aſſecutus.*

PROVINCIA SARDINIÆ.

Conuentus:
- Calaritanus
- S. Auguſtini
- Collegiũ ibidem
- Saſſaritanus
- Alquerenſis
- Samaſſienſis
- Tortolienſis
- Geſtorienſis
- Ilorayanus
- Galuranus
- Scoreanus
- Eccleſienſis.

PROVINCIA LVSITANIÆ.

Conuentus:
- Olyſſiponenſis
- S. Mariæ de gratiâ *circa annum Domini* D. CCC. XL. *in colle primùm ſub titulo S. Geneſij ædificatus: M. S S. Luſitanica.*
- Collegiũ ibidem
- Domus S. Mariæ de peñâ de Frãciâ
- Bracarenſis
- Eborenſis
- Conimbricenſis
- S. Mariæ de gratiâ
- Bragantinus
- Santarenenſis
- Villauicoſanus
- Turrium veterum
- Peñafirmanus
- Montis Maioris
- Portuenſis
- Caſtri albi
- Funchalenſis
- Heſperidum inſularum
- S. Michaëlis
- Algarbienſis
- Syluienſis
- Loleianus

Conuentus:
Tauirensis
Lagusanus
Congensis
Emeritensis, *vbi circa annum Domini* D. LXXI. *S. frater Nuntus cum suis vitã nimis austeram duxit, & martyrij coronâ adauctus victor migrauit ad palmam. Vide P. Hieronym. Roman. de la Higuerâ Societ. Iesu in histor. Emerit.*

PROVINCIA INDIÆ ORIENTALIS.

Goanus, & alij complures.

PROVINCIA MALABARICA.

Cochinensis, & alij.

INSVLÆ MOLVCCÆ.

Ad has an. M.D.LXXV. *P. Alphonsus Gutierrez à Veracruce, vir scientiâ & sanctitate clarus, vnà cum viginti quatuor aliis nostri Ordinis Fratribus, ex Hispaniâ selectis, suâ sponte, nec non Regis Catholici adhortatione deuenit: vbi primi cultum veri Dei introducunt nostri, mirificè rem Christianam simul & Augustinianum Ordinem promouentes; quamquam Conuentus speciatim haud scio. Pamphil. in Chron. anno* M. D. LXXV.

PROVINCIA VENETA.

Conuentus:
Venetus S. Stephani
S. Christophori in Insulâ
Patauinus SS. Philippi & Iacobi
Veronensis S. Euphemiæ 1262
Treuisanus sanctæ Margaritæ
Tridentinus sancti Marci
Vicentinus
Feltrensis

Vtinen-

Conuentus: Vtinensis, Concordiensis, Mirandulensis, Polesellensis, Spilembergensis

Conuentus: Venzonensis, Sacilliensis, Latisanensis, Polensis, Clugiensis.

PROVINCIA TOLOSÆ, ET AQVITANIAE.

Conuentus: Tolosanus, Burdigalensis, Agiuuensis, Baionensis, Cadurcensis, Figensensis, Genuensis, Montis Regalis, Florentiensis, Fiatensis, Montisflauginij, Petracoriensis, Lemouicensis

Conuentus: Morthemartensis, Insulæ Iordanis, Montis-douiæ, Villasyluiensis, Villæ Franchæ, Marquefauiensis, Montis Albani, Octo alia *supersunt* Monasteria, *quorũ nomina ad me nondum peruenerunt.*

PROVINCIA BELGICA, SIVE COLONIENSIS.

Conuentus: Antuerpiensis, Angiensis, Aquensis, Betburgensis, Brugensis, Bruxellensis, Bouiniensis, Bullonienfis, Coloniensis, *Sacramento miraculoso illustris.*

Conuentus: Diestensis, Dordracensis, Enchusianus, Gandensis, *Sanguine pretioso notus.* Harlemiensis, Hasselensis, Herentallensis

Conuentus:
Huyensis
Insulensis
Iprensis
Louaniensis, *celeber particulâ Hostiæ in carnē versa, quæ ante annos circiter* CCC. *Middelburgo allata fuit.*
Leodiensis
Mariæuallensis
Mechliniensis
Merthensis *seu* Ad Martyres
Middelburgensis
Thenensis
Theonisuillanus
Tornacensis
Traiectensis
Treuirensis
Walderfingensis
Wesaliensis

PROVINCIA ROMANDIOLÆ.

Conuentus:
Bononiensis S. Iacobi
Ariminensis S. Ioan. Euangelistæ
Cesenatensis
Finalensis
Ceruiensis
Castrimoniensis
S. Pauli de Ragonno
Centiensis
Castri S. Petri
Pennæ Billorum
Rauennatensis
Carpensis
Castri Franchiensis
Talamelensis
Galiatensis
Plani Meleti
Miratoriensis
Sextiaxensis
Veruculensis
Forisaracenus
Linariensis
Valenucensis
Cusecarellensis

PROVINCIA VMBRIÆ.

Conuentus:
Perusinus S. Augustini
Spoletanus
Reatinus
Eugubinus
Tudertinus
Fulginatensis
Montisfalconēsis

Inter-

Conuentus
- Interamnensis
- Narniensis
- Cassiensis, *ratione sanguinis ab Hostiâ sacratâ in chartam distillantis notus.*
- Ciuitatis ducalis
- Nursiensis
- Americensis
- Gonissensis
- Amatricisensis
- Pergulanus
- Burgi S. Sepulchri
- Anglariensis
- Sigillanus
- Castri Ritaldoriensis
- Vissycanus
- Corcianus

Conuentus
- Cerquetensis
- Minanicensis
- Ceretiensis
- Cautalicyssensis
- Nuglolensis
- Petrilonganus
- Cotanellensis
- Montis Regalis
- Acumuliensis
- Pandicalensis
- S. Geminij
- Pabyensis
- Castririgoricensis
- Introducianus
- Gualdilucerius
- Apositensis
- Saxetensis
- Fractensis
- Mercatelinus
- Montis veteris
- Gualdicataneus

PROVINCIA PROVINCIÆ.

Conuentus
- Dariocensis
- Pugetensis
- Valensolensis
- Brimolensis
- Castellanensis
- Draguiguanensis
- Aquensis
- Marsiliensis
- Grassiensis
- Arelatensis
- Lirinensis, *olim fecunditate Sanctorum (vt ait Baron. tomo 8. anno* D. CI.) *conspicuus; è quo S. Honoratus, S. Cæsareus Episcopus Arelatensis, Aigulphus, & alij plures martyrio coronati circa annum*

Conuentus *num* D.C.LXIV. *Vide Sur. 3. Non. Sept. qui Conuentus propter persecutionis immanitatem à nostris desertus, à PP. Benedictinis pòst est habitatus.*
Nissiensis
Paternensis
Auignionensis.

PROVINCIA BAVARIÆ.

Conuentus
- Monachiensis
- Seemanshausensis
- Ratisbonensis
- Ratenbergensis
- Romsauwensis
- Seefeldensis, *totâ Bauariâ & Tyroli celeberrimus ob Sacramentum miraculosum.*
- Salisburgensis
- Schleusheimensis
- Ingolstadiensis
- Viebacensis.

MORAVIÆ.

Conuentus
- Brinensis S. Thomæ
- Chrumpnauuensis, S. Eucharistiæ
- Ceronensis
- Gewitzius S. Mariæ
- Olmutiensis
- Regradensis

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Conuentus
- Neapolitanus
  - S. Augustini
  - D. Virginis ad subsidium
  - Conuentus S. Spei
  - S. Ioannis de Carbonatâ
- Auersanus
- Capuanus
- Theanus
- Vaieranensis
- Riardinus
- Pratensis
- Bonaffrensis
- Buianus
- Casettensis
- Ariensis

Gragna-

Conuentus: Gragnanensis, Rauellensis, Mortoriensis, Solophrensis, Beneuentanus, Candidensis, Salernitanus, Campaniensis, Buciniensis

Conuentus: Paludanus, Dianensis, Riccinus, Scallensis, Ischiensis, Nolanus, S. Mariæ gratiarum

PROVINCIA NARBONÆ & BVRGVNDIAE.

Conuentus: Lugdunensis, Oremiacensis, Secelliensis, S. Petri Albiuianensis, Emeziacensis, Gauuatensis, S. Amoris, Morestelliensis, Mouluelliensis, Surregionensis, Voltensis, Belliteparienlis

Conuentus: Narbonensis, S. Genesij, Bituricensis, Marologiensis, Burgibressanus, Montispeliensis, Tououiensis, Geneuensis, Nemosiensis, Monstaniacensis, S. Romani à Terno

PROVINCIA SICILIÆ.

Conuentus: Messanensis, Panormitanus, Taurominensis, Catanensis, Auernensis, Traianensis, Recalbatensis

Conuentus: S. Philippi, Gaglanensis, Castro Ioannis, Calatauoltorensis, Alxamiensis, Calatafiniensis, Saliensis

Conuentus:
- Caltabellotensis
- Nariensis
- Calatageronensis
- Minensis
- Lentiniensis
- Syracusanus
- Notiensis
- Castiglionensis
- Francauillanus
- Castriensis
- Gratianus

Conuentus:
- Coreonensis
- Salemensis
- Drepanensis
- Mazarlensis
- Morsalisenensis
- Miletensis Maltæ: Notabiliensis, Valtensis, Gaulensis

PROVINCIA PISANA.

Conuentus:
- Florẽtinus S. Spiritus
- Pisanus
- S. Barnabæ
- Pistoriensis
- Vulteranus
- Pratensis
- Scarperiensis
- Emporiensis
- S. Miniati
- Montis Catini
- Binganiensis
- Lupicattiensis
- Petræ sanctæ

Conuentus:
- Fiuizanus
- Podij boncius
- Loci noui
- Solbudzoniensis
- Guardistalensis
- Marcialensis
- Peretolensis
- Campiliensis
- Liburniensis
- Barghensis
- S. Saluatoris
- S. Donati
- S. Francisci

PROVINCIA SENENSIS.

Conuentus:
- Senensis
- Cortonensis
- Aretinus
- Castilionensis
- Montis S.Sabini

Conuentus:
- Valensis
- Ascinniensis
- Montis Alcini
- Gambasciensis
- Colensis

Mastæus

Conuentus { Maſtæus, Corſicanus, Plombinus, S. Catharinæ de Siſo, Montis Politiani, Scarlinienſis }

Conuentus { Montis Sciani, Monticulenſis, Vallis Roſiæ, Gerfalchienſis, Colonienſis, Cabalbienſis, Suberetinenſis }

PROVINCIA TERRÆ SANCTÆ.

PROVINCIA APVLIÆ.

Conuentus { Barenſis, Andrienſis, Tranenſis, Iuuenacenſis, Aquauiuanus, Tarentinus, Licienſis, Curſienſis, Montis Cauerti, Brunduſinus, Melfienſis, Venuſinus }

Conuentus { Atellenſis, Eſculanus, Siconiollenſis, Foggienſis, Lucerienſis, Termulanus, S. Seueri, Vigilienſis, Caſalis noui, Altemurenſis, Hoſtuninus, Bituntinus }

PROVINCIA APRVTII.

Conuentus { Lancianenſis, Vaſtinus, Ortonenſis, Ciuitatis Teatinæ, Ciuitatis Pennæ, Taramienſis }

Conuentus { Tortoretinus, Atrinus, Ciuitatis S. Angeli, Peſcatenſis }

PROVINCIA CALABRIÆ.

Conuentus:
- Tarſienſis
- Paulenſis
- Terræ nouæ
- Beluederienſis
- Buchilerienſis
- Belfortiſenſis
- Montiſleoninus
- Scilianinus

Conuentus:
- Feroletinus
- Rocheuetinus
- Curinghenſis
- Acrinus
- Suſcaldienſis
- Meliſſenſis
- Strongelianus

PROVINCIA POLONIÆ.

Conuentus:
- Cracouienſis
- Caſimirianus ſanctæ Catharinæ
- Warſauienſis ſancti Martini
- Breſtanus
- Bialutienſis
- Cecanouianus
- Craſnoſtauianus

Conuentus:
- Elcuſumenſis Aſſumptionis ſanctæ Mariæ
- Bydgoſtienſis
- Payzouianus
- Pilznanus Aſſumptionis B. Virginis

PROVINCIA RHENI, & SVEVIÆ.

Conuentus:
- Moguntinus
- Oberndorfenſis
- Spirenſis, *vbi anno* M. XLV. *Concionator Auguſtinianus Wernobum quemdam in aulâ regiá cõuertit: Petrus Georg. l.* 13. *de Rep. c.* 32. §. 14.
- Conſtantienſis

Conuentus:
- Weilenſis
- Gaumundianus
- Friburgenſis in Briſgoâ
- Friburgenſis in Heluetiâ
- Herbipolenſis
- Landawenſis
- Hagenawenſis
- Odenweilenſis
- Memmingenſis

Briſa-

Conuentus { Brisacensis, Colmariensis, Windsheimensis, Wormatiẽsis 1264. Fridtburgensis, Heidelbergensis, Alcheymensis, Anglibergensis, Pforzheymensis, Argentinensis

Conuentus { Basiliensis, Cronweyssenburgensis, Eslingensis, Lauringensis, Launghiniensis, Nurenburgensis, Wurstadiensis, Tubinganus, Alzeranus

PROVINCIA HVNGARIÆ.

Conuentus { Agariensis S. Nicolai, Deesoarensis sanctæ Mariæ, Haropkowensis S. Spiritus, Carensis S. Ioannis Euangelistæ

Conuentus { Saranus S. Stanislai, Marechensis, Papotziensis sanctæ Mariæ

BOHEMIA.

Conuentus { Bonateckensis, Bielensis, Domazlicryensis, Harlastiẽsis S. Antonij, Radtshastensis, Ostrowensis

Conuentus { Welinckensis, Leutmichlensis S. Crucis, Puuoniensis *seu* Stockensis, Pragensis

AVSTRIA.

Conuẽtus { Viennensis, Cornauburgensis, domus sancta, Neuburgẽsis, *claruit ab anno* M. C C C. X I I. *Sacramento miraculoso, habuitque copiosas*

Conuentus
ſas Indulgemtias hac de cauſſâ conceſſas.
Padenſis
Flumeliburnienſis

Conuentus
Fuſtenfuldenſis
S. Mauritij
Græcienſis
Fuſtenfeldenſis

PROVINCIA ANGLIÆ.

Conuentus
Londinenſis, *Conuentus regius.*
Oxonienſis
Roffenſis
Cantabrigienſis
Eboracenſis, *vbi anno* M. D. XXXVII. *voce calitus demiſſâ ad martyrium inuitatur B. Frater P. Ioan. Stonneus. Vide Pãphil. hoc anno.*
Huttingenſis
Tuffifordienſis
Rideurielenſis
Darenſis
Limnenſis
Horkendinenſis
Lincolnienſis
Lieynienſis
Leyceſtrenſis
Stanfordienſis
Nordouicenſis
Cardicenſis
Moranipromenſis
Nordouolgienſis

Conuentus
Lemdenoruelgius
Iſtapordienſis
Ponſuadienſis
Serrahamundienſis
Antoſlogamaniéſis
Chirienaminanenſis
Roſæ vachtiunienſis
Galaniuiartenſis
Thibertanenſis
Chordiagienſis
Douidguardamenſis
Audarienſis
Liſagamienſis
Hungtyngtonenſis
Northamptonenſis
Ticullenſis
Clarenſis
Vuichienſis
Gorleſtonenſis
Burienſis
Vuarryngtonenſis
Conuentrienſis

PRO-

PROVINCIA HYBERNIÆ.

Conuentus: Caluienſis, Dublinenſis, Dominienſis, Belufamenſis, Benaphadienſis

Conuentus: Arnacenſis, Valla aurouenſis, Burgeſquerenſis, Moraſquerenſis, Crenquerenſis

PROVINCIA TVRINGIÆ, & SAXONIAE.

Conuentus: Dreſdanus, Vſingenſis, Erfordienſis, Schmalkaldenſis, Onaſburgenſis, Rulenbachienſis

Conuentus: Ponicrienſis, Hamburgenſis, Northauſienſis, Sangerhauſianenſis, Subergienſis

PROVINCIA NOMINIS IESV, SEV MEXICANA, IN INDIA OCCIDENTALI.

In hac, tempore Capituli, ſeu comitiorum Prouinciæ anno M. D. LXXXVII. 25. *Aprilis, cenſa ſunt* LXX. *Monaſteria Ordinis huius Auguſtiniani; & omnium primus Theologiam docuit P. Alphonſus Veracrucius. Vide Pamph.* M. D. LI.

Mexici:
- Conuentus: S. Auguſtini, S. Monicæ
- Collegium: S. Pauli, S. Nicolai Tolentinatis

Conuentus: Cuilhuacanenſis, Ayotzinguenſis, Mizchichenſis, Ocoitoconenſis

Conuentus: Tlaapanenſis, Yacapichtlanus, Molanconenſis, Tenuxtitanus

Aculma-

Conuentus:
- Aculmanus
- Epatzoyohcanus
- Metlatepecanus
- Totolapensis
- Atatlauquensis
- Xemultepecquensis
- Ayacapliſtlensis
- Xantetelchensis
- Meztitlanus
- Malinalcus
- Chilapensis
- Tlayacapensis
- Otocpanensis
- Atotolnichensis
- Izmichelpensis
- Patzayucanus
- Planatanensis
- Acatlanensis

Conuentus:
- Tzinguilanus
- Gilotnanensis
- Chicoaantlanensis
- Epacoyntanus
- Huacpultepecensis
- Huachinanguensis
- Xicotepechensis
- Tlanchinolotlensis
- Chapulhuacensis
- Cacalpuensis
- Xonacatlensis
- Chieltlacensis
- Gautlatanus
- Alcanchanensis
- Ochilaensis
- Thecamaensis

PROVINCIA MICHVACANENSIS, aliàs TARASCA.

Conuentus:
- Quayangarensis
- Paſquarensis
- Tiripitensis
- Cuiensis
- Cupandaroensis
- Guanguensis
- Vcareonensis
- Yurirapundaroensis S. Pauli
- Xaconensis
- Tziroſtensis
- Thingabathensis

Conuentus:
- Thacambaroensis
- S. Petrus Tzacanus
- S. Ioannes Parangaricutirus
- S. Franciſcus Curupus
- S. Philippus Altus
- Ocotlanensis
- Charensis
- Quadalacharensis *aliàs* Xaliſcus
- Xacatanus

PRO-

PROVINCIA PERVANA.

Conuentus:
Limenſis
Truſillienſis
Cuzcoenſis
Parianus
Taparienſis
De paz cuicioglionenſis
Platenſis *ſeu* de la plata
Guadalupenſis
Saniarenſis
Supenſis
Guauiaciuleonenſis
Giuſgolinus
Gualueonenſis
Caltaonenſis

Conuentus:
Pucâranienſis
La Madona de lobo
Cliſſenſis
Vmaſaienſis
Tarierenſis
Iulenſis
Cagnietenſis
Ariquipenſis
Lanacenſis
Talamboenſis
S. Iacobi de Nibe
Polcimpoenſis
Potoſinus
Iapinotanus

PROVINCIA CHILENSIS, SIVE DE CONCEPTIONE.

PROVINCIA QVITENSIS, SEV S. MICHAELIS.

PROVINCIA NOVI REGNI.

Conuentus:
S. Fidei Bouotanus
Tunxarenſis
S. Mariæ de Gratiâ
Pamplonenſis
Meredenſis
Pamamanenſis

Cartha-

Carthaginensis
Lanenensis
S. Christophori
Popaianensis
Rachirensis

INSVLÆ PHILIPPINÆ.

In has nostri Patres Fidei vexillum primi intuletunt: Pamphil. anno M. D. LXV. *& noster Gonçalez de Mendoça l. 3. hist. Chinensis c. 24. vbi temporis exigui spatio ab eisdem ducenta millia Gentilium & amplius Baptismum acceperunt, magnâ animi constantiâ Religionem susceptam retinentes. Ad eorum conuersionem non parum iuuit cuiusdam defuncti viri dignitate conspicui post mortem diuino nutu apparitio per totam illam regionem notissima. Hic idem paullò post acceptum Baptisma piè defunctus Christianã Religionem suis popularibus in hunc modum persuasit; referens se statim à morte cælestem in paradisum ab Angelis fuisse deductum, ibique se iucundissimo Dei aspectu, summâ nimirum beatitudine atque omnibus quæ possent optari, deliciis perfrui: eos autem posse itidem eò peruenire, sed non sine Baptismo ac modo credendi, quem Castellæ (sic Christianos vocant) docent. In iisdem Insulis Philippinis plura sunt Augustiniana Cœnobia, quorum omnium primum est*

Manilanum; *in quo nostri de patentissimo*

CHINARVM

Imperio pleniùs instructi, summo desiderio in conuersionem eiusce gentis exarserunt. In his fuit P. Martinus Herada Exprouincialis Theologus egregius simul & Mathematicus, qui tot animas dolebat veræ Fidei defectu perire. Is aduenarum Sinensium indolem diligenter obseruauit, eorumque se consuetudini

dini insinuauit; quâ ratione Chinensium linguam ita feliciter addidicit, vt ipsemet Dictionarium, & libros illius linguæ concinnârit. Verùm quòd omnis aditus præclusus esset exteris ad illud nobilissimum regnum, conatus est aliquoties cum suo collegâ P. *Hieronymo Marin se diuendere pro mancipio mercatoribus Sinesiis. Verùm ea ratio intrandi non successit. Tandem non cessante eorum feruenti studio, à Prorege Philippinarum anno* M. D. LXXV. 12. *Iunij cum legatione in Chinas missi, omniumque primi terras illas ingressi, statum regni detexerunt, atque digitum ceteris Ecclesiasticis ad fidei Catholicæ fontem (vt aiunt) intenderunt. Iidem nonnullas imagines, orationem Dominicam cum salutatione Angelicâ, Decalogum, ac similia quædam inspserserunt. Sed exiguo fructu ex iis locis regressi, Regem Catholicum de his omnibus certiorem reddiderunt: qui ad Chinensium Regem legationem ampliorem paullatim subornans, præmisit eò versus* P. *Didacum de Herrerâ Augustinianum* Prouincialem *cum* 40. *Fratribus* Ordi*nis nostri. At illi tempestate circa Iaponiam delati, à Barbaris ob fidem Catholicam ad vnum omnes sunt interempti. Significarunt autem postmodum Frater noster Petrus Roias, filius Marchionis de Pozâ, & P. Andreas Aguirre item Augustinianus, Philippinarum Prouincialis, euocasse Sinesium Regem ad suum imperium nostros speciatim Religiosos, qui sanctitatis & eruditionis nomine famam ibi conciuerant. Unde nos in Chinensi regno domos aliquot seu familias cum Patribus Societatis* IESV *habere facilè adducor vt credam. Quâ de re propediem fusiùs & certiùs, vbi de literis Chinensibus notitiam accepero.*

CONGREGATIO LOMBARDIÆ.

Præter Conuentus Romanos sup.

Conuentus:
Cremenſis
Bergomenſis
Mediolanēſis beatæ Virginis incoronatæ
Florentinus
Comenſis
Cremonenſis ſancti Andreæ
Tortonenſis
Vitalianus
Taurinenſis
Brixienſis S. Barnabæ
Mantuanus ſanctæ Agnetis
alius extra muros
Annuntiatæ
Sauonenſis
Caſtellenſis
Lucenſis
Mutinenſis
Papienſis
Alexandrinenſis
Grebedo nenſis
Spilambertinus
Saueliancnſis
Bononienſis
Pontremolenſis
Ferrarienſis S. Andreæ

Conuentus:
Cariginianus
Baſſanus
Caſaliēſis, *gymnaſio literario nunc auctus per D. Andream Triuiſium Archiatrū Principum Belgij, Alberti & Iſabellæ.*
Aſſumptionis
Cherenſis
Fortininus
Auilionenſis
Placentinus
Imolenſis
Fauentinus
Rumanenſis
Verſellenſis
Tolentinatenſis
Bagellenſis
Lemininus
Hipporegius
Ciriacenſis
Pontis S. Viti
Regienſis
Ninibrienſis
Veletranus
Montisfalconenſis
Clauacenſis
Aſulienſis

Suraſi-

Conuentus
- Surasinus
- Massensis
- Castellacensis
- Lucceriensis
- Saluciarensis
- Auciagensis
- Mationensis
- Catelexiensis

Conuentus
- Bargiarensis
- Burgimbrescianus
- S. Nicolai Tolentinatis
- Cauorgensis
- S. Germani
- Maceratensis
- Laudensis

CONGREGATIO ILLECITANA S. SALVATORIS.

Conuentus
- Illecitensis
- S. Geminiani
- Pratensis S. Annæ
- Lacensis S. Antonij
- S. Leonardi

Conuentus
- Senensis S. Martini
- Vallasprenensis
- Syluala censis sancti Saluatoris

CONGREGATIO CARBONARA.

Conuentus
- Carbonaræ Neapoli, *vt suprà.*
- Suessanus
- Calenensis
- Caietanus
- Capuensis
- Surcetinus
- S. Mariæ de Sapo

Conuentus
- Petramellariensis
- Apitiensis
- S. Mariæ de Busco
- Pausilippēsis sanctæ Mariæ della Consolatione
- Maliauensis
- Marsitensis

CONGREGATIO PERVSINA.

Conuentus
- Perusinus S. Mariæ Nouellæ
- Aquilanus
- Fulginensis
- S. Felicis
- Sulmonensis
- Fabrianensis
- Saxoferratensis

CONGREGATIO IANVENSIS, SIVE S. MARIAE DELLA CONSOLATIONE.

Conuentus:
- S. Balbinæ Romanus, *vt suprà.*
- Ianuensis
- Rapalensis
- Plebanus
- Leuensis
- Montisregalensis
- Parmensis
- Montisbrunanus S. Mariæ
- Fauonensis
- Vneliensis
- Sabatiensis

Conuentus:
- Victimiliensis
- Niceensis
- Albarius
- Tendensis
- Mystiensis
- Montisclariculiensis
- S. Dominici
- Valletaris
- Clauennensis
- Barsolensis
- Viterbiensis

CONGREGATIO MONTIS ORTONI.

Conuentus:
- Montis Ortoni B. Mariæ
- Venetus S. Pacis, *extructus ratione illius, quam noster Simon Camerinas institutor conciliarat inter Venetos & Ducem Mediolanensem.*

Conuentus:
- *Vide Pamphil. anno* M. CCCCLVIII. *& Ægnat. l. 2. de exemp. Vir. illustr.*
- Citadellensis
- Vlmiensis
- Rodigiensis
- Lorediensis

CON-

CONGREGATIO APVLIÆ, SIVE DVLCETI.

Conuentus
- Dulcetinus
- Troienſis
- Aſianus
- Eſculenſis
- Corianus
- Atripaldenſis

Conuentus
- Montis Caulenſis
- Gildonienſis
- Campibaſſinus
- Montisfolconenſis
- Caſtelluccianus

CONGREGATIO CALABRIÆ.

Conuentus
- Conſentinus
- Suberatenſis
- Nocerenſis
- Apriglianenſis
- Terræ nouæ
- Turrenſis
- Grottæ Condianenſis
- Caſtri veteris
- Franceuillanus
- Caſtilionenſis
- Aquarienſis
- Zampanenſis
- Caſſalenſis
- Sciglianenſis
- Curtalenſis
- Maturanus
- Tabernarienſis

Conuentus
- Cruculenſis
- Beluiderius ad mare
- Montis pauonienſis
- Etallutinus
- Barapodinus
- Beluiderius ad Meſanam
- Baſanus
- Daulinus
- Arguſtinus
- Selienſis
- S. Stephani
- Rubetinus
- Mahienſis
- Nacaſtrenſis
- Stilienſis

CONGREGATIO DALMATIÆ

inſtituta anno M. D. XI.

CONGREGATIO S. MARIÆ DE COLORITO *in Calabriâ citeriori.*

Conuentus { Romanus cccc. Martyrum, *vt suprà.*
Moranus
Viceuellanus
Vrzomarzonensis }

CONGREGATIO MONTIS VVLTVRNI.

Est hæc vltima Congregatio Fratrum Eremitarum, sub nomine S. Antonij in monte Vulturno *facta per P. Antonium Touanum & collegas, prope Casseletum & Audomaropolim; atque à San*[mo] *D. Paulo* V. *sub hac eadem Regulâ D. Augustini confirmata, & Prouinciæ huic nostræ Belgicæ ex voto eiusdem San*[mi] *D. & Ill*[mi] *Nuntij Guidonis Bentiuoli in nuperâ Congregatione Augustinianâ Louanij vnitâ anno* M. DC. XV. *die* 5. *Septembris.*

Et hic quidem est censu, seu lustrum aliquot Prouinciarum & Monasteriorum, quæ obiter colligere potui dum hic liber penè foret excusus. Monasteriorum namque Indiæ Orientalis, & aliorum complurium, propterea enumerationem non feci; facturus alioqui cùm opportuna sese præbuerit occasio.

Ioseph. Pamph. in Chron. anno 1497. *Superiore verò sæculo, vt testatur Baptista Alouisianus Rauennas, tantus erat Ordo hic noster Eremitarum S. Augustini, vt censerentur in eo* Monasteria virorum ad bis mille, sacrarum Virginum trecenta, & Initiati, *vt vocat, seu* Religiosi ad triginta millia. *In quibus fuère complures viri doctrinâ & pieta-*

pietate præstantes, qui rem Christianam scriptis illustrarunt atque defenderunt. Horum pro se quisque sedulò vestigia legamus, & feruido charitatis affectu, communi Ecclesiæ bono, ac Dei in primis Opt. Max. honori adaugendo, totos nos impendamus, liberalissimam vtilis huius operæ mercedem in cælis relaturi.

CATALOGVS

Aliarum Sodalitatum, quæ sub eiusdem D. P. AVRELII AVGVSTINI *Regulâ, velut sub vnius Imperatoris signo merent, sed diuersis cohortibus atque ducibus priuatis plerumque ab Eremitis secernuntur.*

Inter has prima est Clericorum, *seu, vt vocant,* Canonicorum Regularium, *à B. P. Augustino restaurata sub eadem Regulâ, circiter annum Domini* CCC. XCV. *in Ecclesiâ Hipponensi, dum iam esset Episcopus. Vide hunc nostrum l. 2. c. 19. & 20.*

Ordo *deinde* candidus Præmonstratensium, *à* S. Nortberto *nobili Lotharingo institutus sub Regulâ D. Augustini circa annum Domini* M. C. XVI. *aut* M. C. XX. *Vide Baron. anno* M. C. XX. *& hunc nostrum l. 2. c. 15.*

Patrum Dominicanorum, *seu* Prædicatorum *Tolosæ à* S. Dominico *institutus, & confirmatus ab Innocentio & Honorio tertiis. Vide Ciaconium eiusdem Ordinis Professorem, & nostrum Onuphr. sub annum Domini* M. CC. I.

Cruciferorum *ab Innocentio* III. *approbatus sub Regulâ eiusdem P. Augustini, sub annum Domini* M. CC. XV. *& à Pio* II. *reformatus sub annum* M. CCCC. LVIII.

Alius Ordo Cruciferorum cum stellâ, *sub Regulâ Augustinianâ exorsus videtur sub annum* M. CCC. XCIII. *Vide Renatum Choppium l. 2. De iure Monach.*

Ordo Scholarium, *sub Augustinianâ Normâ initium habuit à quibusdam Parisianis sub annum* M. CC. I. *& confirmatus ab Honorio* III. *sub annum* M. CC.XVIII. *Vide eumdem Chopp. t. 1. a. 13.*

Societas Sanctissimæ Trinitatis *siue* Redemptionis Captiuorum *in Hispaniis instituta, sub hac viuendi methodo circa annum Domini* M. C. XCVII.

Ordo S. Brigittæ *complectens tam fratres Religiosos, quàm sacras Virgines Deo famulantes, ab illâ, sub hac eâdem institutus, & approbatus ab Vrbano* V. *circa annum Domini* M. CCC. LXX. *Genebrard. in Vrbano* V.

Sodalitas B. Ambrosij (*quam vocant* de la Forest) *ab Eugenio* IV. *approbata sub Regulâ Augustinensi circa annum Domini* M. CCCC. XXXIII. *Vide Onuph.* M. CCCC. XXXIII.

Ordo B. Virginis de la merced' *sub hac eâdem Regulâ cœpit in Arragoniâ sub annum Domini* M. CC. XVIII. *& confirmatur anno* M. CC. XXX. *à Gregorio* IX. *Vide Diagum in Chronico Dominicanorum Arragonensium.*

Ordo Seruorum B. Mariæ *à* B. Philippo Florentino *Ordinis nostri institutus sub Regulâ D. Patris Augustini circa annum Domini* M. CC. LXXXV.

Ordo S. Spiritus *Venetiis exorsus per eximium Ordinis nostri Doctorem* P. Gabrielem da Spoleto *circa annum Domini* M. CCCC. XXVI. *Vide I. Pamphil. hoc anno.*

Ordo Hospitalis S. Spiritus *in Saxoniâ curandis infirmis erectus sub Regulâ D. P. Augustini. Vide*

de Ciacon in Alexandro III. *& Onuphr.* M.CC.I.

Congregatio S. Saluatoris, *aliàs (à loco, vbi per nostrum* P. Stephanum Senensem *incœpit*) de Scopeto prope Senas. *Vide Ciacon. in Gregorio* XII. *& Onuphr.* M. CCCC. VIII.

Congregatio Canonicorum S. Iuonis, *ab ipso in ciuitate Bellouacensi erecta circa an. Dom.* M. LXXX.

Sodalitas Canonicorum S. Rufi *ab ipso instituta sub Regulâ D. P. Augustini, teste Ioachimo in explicat. Apoc. anno* M. C.

Societas Canonicorum Frisonaria, *quam alij vocant* Lateranensem, *reformationem habens à* V. P. Iacobo Bergomate, *Ordinis S. Dominici anno* M CCCC. VII.

Congregatio Saxoniæ, *anno* M. CCCC. XCVII. *ab* Andreâ Prole *circa Turingiam instituta, ab Alexandro* VI. *confirmata, Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, & à regimine P. Generalis, & Prouincialium Ordinis Eremitarum D. Augustini omnino secreta; iam planè interiit, procreato infelici Luthero, & id genus horrendis Saxoniæ monstris. Vide Ioseph. Pamph. anno* M. CCCC. XCVII. *& P. Carolum Scribanium in Orig. Antuerp. c.* 11. *f.* 104.

Ordo Vitæ communis *à* B. Gerardo Teutonico *institutus sub hac eadem Regulâ, & confirmatus à Gregorio* XI. *circa annum* M. CCC. LXXVI.

Ordo Apostolinorum *à* D. Barnabâ *in Oriente inchoatus; post in diuersas Orbis partes diffusus est; & nouissimè vnitus sub Regulâ Augustinianâ per Innocentium* VIII. *anno* M. CCCC. LXXXIV. *Vide Morigiam de Orig. Relig. c.* 5.

Ordo D. Pauli primi Eremitæ *ortum habuit in Germaniâ à* B. Eusebio, *& approbatus est ab Innocentio* III. *Vide Onuphr.* M. CC. XV.

Ordo D. Antonij *inseruiens necessitatibu sacro, vt vocant, igne correptorum, cœpit sub hac Regulâ in Galliis à* Gastone *&* Gerino *eius filio: qui vt erant laici, in distinctionem sui ab aliis acceperunt literam Tau. Baron. anno* M. XCV. *& Hincmar. Fulco in Histor. Ancomt.*

Ordo S. Hieronymi de Pisis, *cœpit circa annum Domini* M. CCC. VIII. *sub D. Augustini Regulâ per* Petrum Gambacurtam. *Vide Morigiam de orig. Relig. c.* 41.

Ordo Eremitarum S. Hieronymi *orsus est circa annum Domini* M. CCC. LXXV. *teste Morigiâ c.* 47. *Onuphr.* M. CCCC. XXV.

Ordo Fratrum mendicantium S. Hieronymi *per Comitem* Montgranelium *institutus Fiesoli: Onuphr.* M. CCCC. V.

Alius item Ordo Fratrum S. Hieronymi *in Belgio nostro cœpit per* Gerardum *cognomento* Magnum, *sæculo* XIV. *Vide Ascent. in Vitâ* B. *Thomæ de Kempis.*

Ordo Iesuatorum, *à* B. Ioanne Columbino, *Patritio Senensi institutus & approbatus sub eadem Regulâ D.* P. *Augustini tempore Vrbani* V. *vel, vt alij sentiunt, Vrbani* VI. *Vide Genebrardum in Vrbano* VI.

Ordo seruientium infirmis paupertinis *per* B. Ioannem *cognomento* Dei, *inchoatus circiter annum Domini* M. D. LXXII.

Ordo S. Georgij *in Algâ prope Venetias, qui cœpit à* B. Laurentio Iustiniano *Veneto circa annum Domini* M. CCCC. XXX.

Ordo Armeniorum

Ordo S. Blasij

Ordo mulierum pœnitentium

Ordo

Ordo S. Ioannis de aëre

Ordo S S. Martyrum

Ordo S. Mariæ de Scalâ

Ordo deabatorum

Ordo S. Eulaliæ

Ordo Pignanensium.

Ordo S. Gilberti

Ordo S. Marthæ

Ordo Caritatis B. Mariæ

Ordo S. Crucis *in Italiâ, de quo Volater. in Anthrop. l. 2. & alÿ; institutus dicitur sub hac Regulâ circa annum Domini* M. C. X V I I.

Ordo Equitum S. Iacobi, *qui* de l'espada *dicitur, exordium sortitus à* Ramiro I. *Legionensium Rege, & approbatus sub Regulâ D. P. N. Augustini ab Alexandro* I I I. *anno* M. C. L X I I I.

Ordo Equitum S. Ioannis Ierosolymitanorum *institutus à* D. Gerardo *sub annum Domini* M. C. X I X. *Vide Ciacon. in Paschale* I I. *& Onuphr. in Chron.* M. C. X I X.

Ordo Equitum Teutonicorum, *sub patrocinio* B. VIRGINIS, *& Regulâ S. P. Augustini collectus. Vide Onuphr.* M. C. X I X.

Ordo S. Pauli primi Eremitæ *in Ossâ rupe Lusitaniæ per* Ferdinandum *Magistrum Equitum Auiensium, sub Regulâ D. P. Augustini erectus anno* M. D. L X I I.

Ordo S. Pauli *in Hungariâ per* Eusebium Strigoniensem *anno Domini* M. C C. X V. *sed confirmatus sub Regulâ hac D. Augustini, sub annum Domini* M. C C C. V I I I. *Vide Morigiam l. de Orig. Relig.*

Ordo Equitum S. Mariæ *in Hispaniâ institutus, & confirmatus à Gregorio* IX. *sub Regulâ D. Augustini.*

Ordo

Ordo Equitum S. Lazari, *Ierosolymis institutus sub hac Regulâ ab Alexandro & Pio Quartis multis priuilegiis auctus. Onuphr.* M. C. XIX. & M. D. LXV.

Ordo Equitum IESV CHRISTI *in Lusitaniâ initium habuit, & approbationem à Ioanne* XXII.

Ordo Equitum S. Michaëlis *cœpit in Galliâ circa annum Domini* M. CCCC. LXIX. *sub hac Regulâ. Vide Genebr. in Paulo* II.

Ordo Equitum S. Spiritus *ab* Henrico III. *Galliarum Rege adinuentus sub annum* M. D. LXXIX. *Ita Genebr. in Gregorio* XIII.

Ordo militum IESV CHRISTI *in Sabaudiâ.*

Exactiorem huius Ordinis notitiam, vt & ceterorum plurium, vbi assecutus fuero, libèns suggeram; maiora Deo donante, propediem daturus. Interim, benigne Lector, hunc nostrum laborem æqui boniqúe consule: & sicubi quid humanitus exciderit, humaniter mone.



INDEX

incen-

Ere-

P.

Vale-

FINIS.

Menda ſic emenda.

Pag. 45. *lin.* 3. opiniones, *lege* occupationes. *p.* 157. *l.* 5. licet *leg.* liquet. *p.* 303. *l.* 25. ambiebant. *leg.* ambibant. *p.* 360. *l.* 10. XXIV. *leg.* LXXIV. *p.* 383. *l.* 7. poſt eum, *leg.* poſt eum. *p.* 427. *l.* 4. deabatorum. *leg.* dealbatorum.

DE

DE

MIRACVLO INGENIORVM S. AVGVSTINO.

S*EMPER monstri parens vt Afra tellus*
Ingruentibus vndiquaque monstris
Ne ferret satiem, sed esset vltrà
Quod nouaret, & adderet stupori,
In Patritiade deinde monstra
Vicit omnia: versus est sed ordo:
Defectus siquidem parentis illa,
Excessus fuit ille, meta mentis
Humanæ, Genij beatioris
Thronus, Numinis arte corporatus.

P. F. Nicasij Baxij
Erem. Augustiniani.

Eiusdem in pictorem, qui conatus fuerat S. AVGVSTINVM ad viuum exprimere.

Τίπτε μάτην νοέεις, Θεόκραυσον ἐς Ἄνερα βλέψας,
Οὗ νοῦς ψυχρολίων οὐδὲν ὅμοιον ἔχει;
Μὴ γραφέων παῖδες τοῦτον γράψειαν ἅπαντες·
Ἢν δὲ γράφειν ἐθέλεις, αὐτὸν ἔρωτα γράφε.

IN

D. AVGVSTINI VITAM

à R.P.C. LANCILOTTO descriptam.

HIC ille victor, Africanus hic nouus
AVRELIVS, *labore cuius strenuo*
Pessumdatus ferale donum Tænari
Donatus, *aggere veritatis obsitus*
Pelagius, *olim pelagus errorum stitit;*
Manes ad imos missus est Manes *diu,*
Cælestij *scelesta secta corruit,*
Priscilliana *prisca fæx euanuit,*
Origines peruersitatum Origenis,
Et Iuliani *anilia iacent dogmata,*
Ecclesiæque quidquid Hydrorum obstitit,
Hic ille victor, post tot ingentis notæ
Memoranda facta, postque compostam manu;
Linguâ stiloq; Ecclesiæ malaciam,
Post monstra tot perdomita, post agrum DEI
Loliis leuatum, postque firmatam fidem,
Quâ nescio torpentis aui Murciâ
Squalebat, eheu! vindicem donec suum
En LANCILOTTVM *repperit, dignum Patre*
Tanto profectò filium; qui flammeos
Per vortices flagrantis HIPPONIS *suum,*
Librariarum per vetusta rudera, &
Æui ruinas, alter Æneas pius
Animo valenti gnauiter portat Patrem,
Et in theatro publico locat, eius vt
Læti triumphis accinant, FELICITER.

P. Melchioris Daelhemij
Eremitæ Augustiniani.

AD

AD LECTOREM DE STATV VITÆ DELIBERANTEM.

QVISQVIS *adhuc mediis errorum fluctibus hæres,*
Circa viuendi pendulus esse genus,
Huc oculos conuerte tuos, huc dirige cursum;
Quà subeas, lucent hæc tibi scripta facem.
Ex Augustino disces quod dogma sequare,
Ex hoc Asceta munia vera scies.

P. Bonauenturæ Leuij
Augustiniani Antuerp.

ALIVD.

HVNC *volue librum, signat hic vitæ ducem,*
Qui fluctuaris anxius vitæ statûs.
Deliberandum seriò, ne seriùs;
Æternus isto nam statu constat status.

F. Gabrielis Metermanni
August. Bruxell.

ALIVD.

QVICVMQVE *diues Pallados artibus*
Primos virorum Mercurialium
Videt sepultos obsoleto
Temporis anterioris æuo;

f *Illum*

Illum celebrat laudis adoreâ,
Qui voce solers euocat abditos
Ætatis immenso recessu
Mente Deo similes Magistros.
Hæc Lanclotto debita contigit,
Laboriosâ qui repetit manu
Magni Tagastani Parentis
Innumeras species decorum.
Cerno tenellis artubus editum
Redire mundo, quem iuuenilibus
Annis vigentem mox latebris
Implicuit sinuosus error.
Audire praestò iam videor graues
Fandi lepôres; Pneumatis insuper
Sacri renatum fonte specto
Christicolûm decus infulari.
Cerno, ecce cerno, qui caput hostium
Rebelle Diuis tundit, & impiger
Ecclesiam lapsum minantem
Erigit vsque modò, regetque.

F. Paulli Cnopij Aug.

Olim in laudem D. AVGVSTINI cecinit F. Bartholomæus Spiritùs Carmelita.

LAVDIBVS *cœtus resonet canoris,*
Musa cælestes recolat triumphos:
Splenduit magni Libycis ab oris
Fulguris ardor.
Doctor insignis datur è supernis
Ædibus, qui nos inopes beato
Melle doctrinæ, placidoque amore
Nutrit Olympi.

Ponti-

Pontifex ardens, solidusque Doctor
Hæresum mucro, scelerumque vindex,
Quando deuicit Manichæa castra
Dogmate miro.
Qualibus verò studiis & arte
Gessit iniunctum sibi principatum,
Hic liber docto resonat cothurno,
Prædicat orbis.
Edocet, scribit, regit, atque pascit,
Vrget, hortatur, rogat, increpatque:
Quando cælesti peperit loquela
Mellea scripta.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est, nequis S. AVRELII AVGVSTINI *Hipponensis Episcopi & S. R. E. Doctoris Vitam, pijs omnibus, nec non de verâ Fide, deque vitæ statu deliberantibus vtilissimam, Auctore* R. P. F. CORNELIO LANCILOTTO *Erem. Augustiniano Exprouinciali, S. Theologiæ Doctore*, præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthasaris & Ioannis filiorum Io. Moreti p. m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi impressam, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XI. Maij, M. DC. XV.

Signat.

De Witte.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD VIDVAM ET FILIOS

IOANNIS MORETI.

M. D[illegible] X VI.


LABORE ET CONSTANTIA.

